JO. LODOVICI VIVIS
INTRODUCTIO
AD
SAPIENTIAM.

Accurate Recognita, &
probatissimorum exemplarium
collatione restituta.
Accedunt annotationes nonnullæ
cum Indicibus.

Altissimi sub umbra

TUBINGÆ,
Impens. JOH. GEORGII COTTÆ, Biblop.

ANNO M DCC IV.

Explicatio Symboli.

SPECULUM fit *omnibus omnia*. Videbunt in hoc Sapientiæ Speculo, qui illud inſpicient, vel pulchritudinem animi, aut ejus turpitudinem. Speculi enim eſt, rerum non tam recipere, quam oſtendere ac repræſentare formas, & , ſi turpes commaculatæque ſint, monere ut emendentur. Sed & Bonus Princeps *omnibus* fit *omnia*, ut Speculum. Bonis bonus, malis Severus. Et quod de ſe dixit Paulus 1. Cor. IX, 22. idem ad προϊσαμένους in aliis quoque ſocietatibus adplicari poteſt.

Ad

LECTOREM BENEVOLUM, VERÆ SAPIENTIÆ VIRTUTISQUE STUDIOSUM

PRÆFATIO.

QUo fine, quove instituto præsens, in lucem denuo prodeat libellus: operosa equidem diffusaque caussarum enarratione exponendum haud videtur. Introductionis ad Sapientiam titulo, jam olim Auctor prudentissimus insignivit; ipso etiam, nisi fallimur, opere, elogii tam insignis ac speciosi rationem redditurus, animoque legentis sua velut sponte confirmaturus; si modo adyta ejusdem ingredi, vel & initia legere at-

)(ten-

tente, profundiorique expendere libuerit meditatione. Neque profecto quemquam, vel assiduæ lectionis, aut vitæ, ad Christianæ non minus, atque civilis Doctrinæ regulas compositæ, umquam pœnitebit: quarum compendium verbis non ad pompam quidem conquisitis, priscam tamen puritatem elegantiamque redolentibus, iisdemque perspicuis, ac brevibus vibrantibusque sententiis, & aculeos in mente figentibus est complexus. Desiderabatur nimirum ejusmodi opusculum, quod, præter artis, ut ajunt, terminos, ac scholæ instituta, purioribus ac minime suspectis vivendi præceptis sese commendaret, & ad quod, demonstratis alibi officiorum originibus, ac

Jure ambituq; ſocietatum oſten-ſo, tanquam vivæ eorundem praxeos, monitorumque eo ducentium promtuarium, poſſet recurri. Quid enim quæſo, proficiemus, & quæ tandem in publicum redundabit utilitas; ſi jactis omnino ampliatisque ſolidioribus doctrinarum fundamentis, de vita tamen rectius inſtituenda, moribusque emendandis haud cogitemus? Ac ſi vel maxime diſputatum alicubi conſultatumque de optima corrigendi ratione fuerit: ejus tamen rei, qua ſocietatis humanæ ſalus integritasque continetur, periculum nunquam faciamus. Habes, itaque,Lector, deſtinationis noſtræ editique libelli argumentum; cæterum alienæ commendationis non indigi,

quoniam sua se dignitate insinuat, ac multiplici fructu, per duo propemodum secula, atque ex quo primum in lucem emissus est, commendavit. Solet alias exacta nimium ac diuturna dogmaticorum lectitatio tædium legenti parere; hunc ergo Vivem nostrum, usus quippe maximi, nec modicæ voluptatis, licebit interserere, animumq; longa meditatione distractum fatigatumque, eo velut erigere, plurimum juvabit. Sed & aliud, quemadmodum in plerisque aliis, qui de moribus ἀφοριστικῶς scripti sunt, libellis, notabunt adolescentes: aliud viri mirabuntur. Illis linguæ puritas nitorque haud vulgaris placebit: hi vitam hominum ac instituta tam varia,

va-

vana plerumque ac inania, velut in ſpeculo intuebuntur. Quod nemini tamen proderit, niſi qui ſe ipſum in eo conſpicatus, de mutandis ſerio moribus cogitaverit, ac incorrupte de rebus didicerit judicare: ne vilia, ut principium habet, ſectetur tanquam pretioſa, aut pretioſa tanquam vilia rejiciat & adſpernetur. Qui ut communis mortalium error eſt; ita pleroſque, rerum actionumque pretia e popularis vitæ tenore, longaque aſſuetudine æſtimantes, præcipites adeo agit, ut magnum erroris magiſtrum, ſtrenuis, quod ajunt, paſſibus, omni ſua ætate ſequantur. Magnum igitur laboris, opuſculo impenſi, præmium obtigiſſe nobis exiſtimabimus, ſi quos optimarum præceptionum

argumentis commotos intellexerimus; ac de ſanctiorum, quæ heic omnibus patent, monitorum dignitate non minus atque uſu, perpetim valituro convictos. Et ſperamus jam non ſolum, ſed etiam confidimus, non inanem fore adhibitam in recognoſcendo augendoque Vive noſtro operam; qui tanto jam olim, non inter ſuos modo, (queis tamen ob veritatis amorem, ac literaturæ elegantiam ſuſpectus) nonnihil fuit) ſed & Proteſtantes in pretio habitus fuit, ut avidiſſime legeretur, ac perpetuus veluti comes à ſapientiſſimis Viris deligeretur: quem promte ſolideque reſpondentem, absque periculo ſequerentur, & in ipſis civilium humanarumque actionum tur-

turbamentis, ad interiorem animi tranquillitatem tuto breviterque ducentem, experirentur. Equidem ipſum in ſacris Voluminibus DEUM loquentem audire nobis fas eſt; ac Solem in Verbo lucentem cernimus, qui viam exploratam, infallibilemque oſtendit; quid igitur lucernulas, velut ad juvandum clariſſimum ſereniſſimumque lumen ejus adhibebimus? Sed non eo hæc fine commendamus, ut ſanctioribus præceptis opponantur: quum & magnam Veri naturalis (namque id humana natura haudpenitus amiſit) partẽ complectantur,&ex ipſis quoq; ſacrarum literarũ fontibus pie ſuaviterque, ubi opus videbatur,ſint derivata. Quam enim,obſecro,præclara ſunt, quæ de Chri-

ſtiana

ſtiana Religione, illiusque excellentia, ac in ſocialis vitæ rationibus incomparabili uſu monet atque inculcat? Quæ vero ſectæ, cui deditus Auctor erat, non tam animo, quam phraſibus ſemel iterumque enunciavit (nam pauciſſimi illi, ac duo, niſi fallor, aphoriſmi ſunt) ea, ne quis hæc inter nos divulgari miraretur, ad immotæ veritatis regulam exegimus, & brevi quidem, at ſolida tamen annotatione correximus. Reliquæ, quas ſparſim adjectas cernis, obſervationes, ſubitaneæ fere ſunt, ac aliorum fide nituntur: eaq; potiſſimũ capita concernunt, quæ apud Dogmaticos, uſu tamen, & ad vitam ſocialem adplicatione inſuper habita, fuſius tractantur. Quædam præterea acceſſere, ut Lector ner-

vum admonitionis perciperet, aut copiosiora desiderans, idoneorum scriptorum notitia instrueretur. Ipsum denique Opusculum collatis, ut res ipsa docebit, optimis quibusque exemplaribus, suæ integritati restituimus, & a plurimis, quæ in libellum, toties, (ceu in Indice ostendimus) recusum irrepserant, erroribus maculisque diligenter vindicavimus. Fruere igitur, hoc labore, Lector Candide, ac spretis imperitorum judiciis, Christum, veræ Sapientiæ auctorem atque ἀρχηγὸν, intrepide constanterque sequere, & Patriæ simul afflictissimæ bene nobiscum precare. Tubingæ, Die V. MartI M DCC IV.

EXCERPTA LITERARIA DE VITA
JO. LODOVICI VIVIS.

GEme is Hispanus fuit: Patria Valentinus. Prima quidem ætate per Sophistarum, quos Præceptores habuit, auctoritatem, seductus, barbariem, ac melioris literaturæ odium professusprimo in Hispania est: & Antonio etiam Nebrissensi, politiores literas ornare, in easque regiones invehere gestienti, vehementer se opposuit, ac Theologastro cuidam Valentino manum commodavit. Sed, quæ mira DEI in candidissimum hominem indulgentia fuit, Hispania egressus, cœno emersit: ac præter alios, Erasmum invenit Præceptorem, quem maximis per vitam omnem elogiis prosequutus, ac semper quoque (ut superstites ad ipsum Erasmi epistolæ docent) faventissimum

est expertus. Sed & ipse gratitudinem Optimo Præceptori, animo, studiis opera, sollicitudine, modis denique omnibus declaravit, ac ne demissis in imum pectus durioribus de se rumusculis senectutem suam præcipitaret, tenerrimo ac filiali propemodum affectu admonuit, impenseque oravit. Ab eodem, Veterum Patrum, Latinorum præcipue scripta, ab infinitis imperitorum seculorum corruptionibus purgaturó, in consilium vocatus, Augustini de Civitate DEI Libros XXII. ad priscæ venerandæque vetustatis exemplaria contulit, eruditissimisque insuper Commentariis illustravit. Quo nomine, scripta Grenvici Die XXIII. Januarii M D XXIII. epistola eidem humanissimè gratulatus est Henricus VIII. Angliæ Rex, & pro elegantissimi Operis dicatione, ingentes, ut epistolæ verba habent, gratias egit. Cæterum in Lovaniensi Academia, publice docuit; ac adolescentem nobilissi-

bilissimum Gvlielmum Crojum (Croaacum alii vocant) Cardinalem postea & Archi-Episcopum Toletanum, discipulum habuit. Ab Henrico deinceps Rege, anno jam M D XXII. in Angliam evocatus, ac Filiæ, quam ex Arthuri Fratris vidua, Catharina Hispana genuerat, Mariæ Præceptor constitutus est; cui SATELLITIUM, Introductioni ad Sapientiam annexum, inscripsit. Regis etiam gratia, sed brevi tempore, ac nonnisi eousque floruit, donec orto inter Conjuges dissidio, ac improbato Henrici divortio, iram ejusdem sensit: & sex mensium carcere ægre liberatus, in Belgium secessit, ac Brugis sedem fixit. Ubi ducta Conjuge, frequentes ad Erasmum literas scripsit, & varia egregii ingenii monimenta emisit. In definiendo die annoque emortuali, Scriptores non conveniunt. Namque anno quidam M DXXXVI. alii sequente, alii demum M D XLV. obiisse com-

memorant: *Cæterum nonnisi quadraginta octo annos vixit, Vir in omni literarum genere exercitatissimus. Sunt qui *Erasmum*, *Budæum* & *Vivem* triumviros ejus ætatis constituant; istique eloquentiam, illi ingenium, huic judicium excellens proprium faciant. Quanquam nupero Scriptori *Ludovico Elia du Pin*, dans la Nouvelle Bibliotheque des Auteurs Ecclesiastiques, & Tomo quidem XVI. Parisiis anno demum nuper elapso, M DCC III. edito, aliter omnino videatur, qui Erasmum ingenio & judicio: Budæum linguarum notitia & profana eruditione: Vivem vero Grammaticæ, Rhetoricæ & Dialecticæ peritia principem existimat. Quod quidem viri docti pronunciatum non facile admiserit, qui tres Vivis Libros incomparabiles de corruptis artibus, acerrimi utique judicii fœtum legerit; ac cætera ejus opera, qualia sunt de *Censura veri*, de *Veritate fidei Christianæ*,

* *vide infra sub finem.*

stiana, de *Officio Mariti*, de *institutione fœminæ Christianæ*, de *concordia & discordia*, de *subventione pauperum*, & his similia: in lucem forsan, si DEUS permiserit, denuo prodiitura, examinaverit. Quæ certe ejusmodi sunt, ut nescias an ingenium magis, an eruditionem, an sententiarum verborumque copiam in auctore mireris. Ac plenius certe digniusque de eo judicium est celebris Theologi; ejus, in-„quientis, Viri optimi lucubrationes „sic mihi arrident probanturque, ut cu-„piam legi ab omnibus. Utinam sacra-„rum literarum tractatio Virum ali-„quando inveniat, qui sic prosit simpli-„cioribus, ut eruditissimis quoque ho-„minibus placere vehementer possit, „styloque neutiquam contemni: qui „eruditioni absolutissimæ junxisse vi-„deatur Christianissimam pietatem. Epicedium Viro doctissimo datum præter alia, recitat Lycosthenes. *Parca ferox Vivi vellet dum scindere filum*,

hos capiti assistens edidit ore sonos: Corpore te solvam; tua sed monumenta manebunt: namque horum potui juris habere nihil. De virtutibus ejus dicere non attinet. Mira in eo fuit humi-„litas. Ita (ut alicubi ad Erasmum ait) „velim mihi propitium Christum, ut „credo assecutum me nominis opinio-„nem, meritis majorem. Sed & insigne in asserenda Veritate studium commendatione dignissimum est; unde a purioris quoque Ecclesiæ Doctoribus inter testes Veritatis, qui seculo XVI floruere, laudatur. Ac testabitur de ejus animo vel sola ad Sapientiam Introductio, si aphorismos CCCXXXVII, CCCXLVI, CCCLXIX, ac sequentes: item CCCLXXXIV. aliosque lubuerit examinare. Qualia ex ejus quoque Operibus (præter Joh. Gerhardum, quem in Locis, quos vocat, Theologicis pene innumera ex eo decerpsisse constat) testimonia produxit (nam quid plures, passim obvios cumu-

mu-

mulemus) Theologus insignis *Henricus Höpfnerus*, in Saxonia Evangelia, & singulari Dissertatione de Μακαρισμῷ Davidico, ubi eum cum Claudio Espencæo Virum vocat undiquaque eruditissimum, extra omnem irreligiosi animi suspicionem, Scriptorem legi dignissimum, quem tamen Jesuitæ vix pro Semicatholico habeant. Adde, si placet, Luc. Osiandrum, Epit. Hist. Eccles. Cent. XVI. L. 2. c. 50. p. 350. qui obitum Viri hujus doctissimi (quem a sinceriore religione non prorsus abhorruisse ait) refert ad Annum M D XLIII. qui & Matthæo Aurogallo & Nicolao Copernico fuerit emortualis. Confer etiam *Henr. Whartonum*, Appendice ad Histor. Literariam doctissimi Viri Gulielmi Cavei, ad An. 1501. *Huldrichi* item *Coccii* ad Danielem Wielandum de Vive Epistolam, Operibus ejus Basileæ A. MDLV. editis præfixam: & Acta Eruditorum Lipsiensia p. 256. Cal. Junii MDCCIII.

JO.

JO. LODOVICI VIVIS

INTRODUCTIO AD SAPIENTIAM.

Conſpectus totius Operis.

Abſolvitur Introductio ad Sapientiam XIII. Capitibus, & DXCII. aphoriſmis.

CAPUT I.

I. VERA ſapientia eſt, *de rebus incorruptè judicare*: ut talem unamquamque exiſtimemus, qualis ipſa eſt, *ne vilia ſectemur, tanquam precioſa*: aut precioſa tanquam vilia rejiciamus: vituperemus laudanda, ne ve laudemus vituperanda.

II. Hinc enim error omnis, in hominum mentibus, ac vitium oritur, nihilque eſt in humana vita exitiabilius, quàm *depravatio illa judiciorum, quum rebus non ſuum precium redditur.*

III. Quocirca pernicioſæ ſunt vulgi opiniones, quæ ſtultiſſimè de rebus judicant.

IV. Magnus erroris magiſter populus.

V. Nec aliud magis laborandum eſt, quàm ut ſapientiæ ſtudioſum à populari ſenſu abducamus & vindicemus.

VI. Primum omnium *suspecta* illi *sint, quæcunque multitudo magno consensu approbet:* nisi ad illorum normam revocarit, qui singula virtute metiuntur.

VII. Assuescat unusquisque jam tum à puero, veras habere de rebus opiniones, quæ simul cum ætate adolescent.

VIII. Et ea cupiat, quæ recta sint: fugiat, quæ prava: *(a) assuefactio hæc bene agere*, vertat ei propè in naturam: ut non possit, nisi coactus & reluctans, ad malè agendum pertrahi.

IX. Eli-

(a) Ita quidem prima Basiliensis *editio, de Anno* 1548. *meliùs Editio* Cantabrigiensis, *de Anno* 1643. & Hamburgensis, *Anni* 1608. *ut assuefactio hæc bene agendi, vertat ei probè in naturam. Minus commode altera* Basiliensis *de Anno* 1555. *qua omnia Vivis Opera expressit; ut assuefactio hæc &c. q. s.*

IX. Eligenda *(b)* est optima vitæ ratio: hanc consuetudo jucundissimam reddet.

(b) Difficilimum hoc, in vita nostra, argumentum est, eam Vitæ rationem, cujus pœnitere nunquam possit aut debeat, *eligere*. Difficultatem facit & vitæ ipsius, & rerum humanarum conditio; & quod plurima, quemcunque in statum nos vertamus, incommoda provideantur, ac futurorum demum, ut origines, sic consequutiones impenetrabili velut confusione obvelentur. Cæterum, cum nihil utique miserius sit, quam in incerto semper fluctuare, & quod evenire plerisque videmus, totam vitam ducere consultando, quâ ratione, quove in statu sit transigenda; manifestum est, mature cuique eam rem deliberandam, ac illum deligendum statum esse, non in quo nulla, sed in quo pauciora minoraque incommoda prospiciat. Quorsum accedat amicorum, eorumque prudentum ac bonorum, consilium. Adsint & preces ut bene vertat, vigor demum animi, quo, si quæ pœnitentiæ locum facere valeant, leniter feramus, ac inoffenso pede trans-

X. Tota reliqua vita ex hac pueri-li (c) educatione pendet.

XI. Ergo

grediamur. Diligenter de præstantissimo argumento veteres, & Græci inprimis: sed sequior ætas, verbis magis quam rebus intenta, id ferme neglexit. Legi tamen e recentioribus merentur *Petrus Gassendus*, Syntagmate Philosophico, Parte tertia, quæ Ethica est, Libro secundo, capite secundo. Et in præclaro de Statu Christianismi Opere *Sekendorfius*, II, III, 4, 5 p. 224. sqq. addatur e Veteribus *Cicero*, Offic. I, 32.

(c) Paucos habemus de Liberorum Educatione Scriptores; neque eos quidem enarrare hujus est loci; Recte interim Christianus, idemque Illustris Philosophus, cujus *de Statu Christianismi* libros modo commendavimus, conquestus eodem loco est: II, 3. 5. Finem educationis, qui commune Bonum est, & a paganis commendatus quoque fuit, apud Christianos non sperni saltem, ac negligi, sed & palam rideri. Quidquid Parentes liberorum causa suscipiunt, plerumque voluptatem aut propriam utilitatem respi-

XVIII. Ergo in curriculo sapientiæ, primus gradus est, ille veteribus celebratissimus, SEIPSUM NOSSE. *(d)*

cere. Imo sic plures hodie instrui, quasi ad jocum & ludum essent facti. Prostat de cœtero Seculi XV. Scriptor *Maphæus Vegius*, de educatione liberorum & in Tomo XV. Biblio SS. PP. *Margarini Bignii* continetur, ac e recentioribus videri potest Libellus de l' education des enfans, ab insigni Theologo *Jo. Colero* defensus: ac alius de l' education des filles, a moderno *Cameracensi Archi Episcopo Fenelono* scriptus, & Germanice Hallis Saxonum editus.

(*d*) Cœlitus delapsum τὸ γνῶθι σεαυτὸν dixit variis in locis *Cicero*. Nam qui se ipsum novit, aliquid sentiet se habere divinum, ingeniumque aliquod simulacrum esse reputabit, DEO dedicatum, ac tanto Dei munere semper dignum aliquid faciet & sentiet. Cogitandum jugiter: quid fueris? quid jam sis? quid denique futurus sis? Extat utilissimus libellus de hoc argumento *Jeremiæ Dyckii*, Angli.

CAPUT II.

DIVISIO RERUM.

XII. HOmo ex corpore constat, & animo. Corpus habemus ex terra, & his elementis quæ cernimus ac tangimus: corporibus bestiarum simile.

XIII. Animum divinitus datum, angelis & Deo similem, unde censetur homo, *& qui solus meritò esset homo appellandus* (*e*) ut maximis viris placuit.

XIV. (*f*) In

(*e*) Cave tamen negaveris, corpus ad substantiam hominis pertinere; nam Hebræis equidem nonnullis, ut & Pythagoræis, animus est homo totus: corpus nil nisi *σκεῦος*. Sed aliud res ipsa docet, & sanctiores pandectæ evincunt. Nec alia maximis, quos tangit, Viris mens fuit; qui curandum utique hoc *σκεῦος χοῶδες*, sed velut partem minus principem agnoverunt. Sap. IX, 14. Rom. XIII, 14.

(*f*) *Bonum*, ut vides, dispescit in *internum & externum*. De hoc, aphorismo agit XIV. de illo XVI. Quod quando lolium ad-

XIV. (*f*) ***In corpore***, sunt forma, sanitas, firmitas, integritas, robur, celeritas, delectatio: & his contraria, deformitas, morbus, mutilatio, imbecillitas, tarditas, dolor, & alia corporis seu commoda, seu incommoda.

XV. ***In animo***, eruditio, & virtus: & contraria, ruditas, vitium.

XVI. ***Extra hominem*** sunt divitiæ, potentia, nobilitas, honores, dignitas, gloria, gratia: & contraria his, paupertas, inopia, ignobilitas, (*g*) vilitas, dedecus, obscuritas, odium.

pellat infra §. LX. de abusu utique intelligendus est, quemadmodum & divitias injustum Mammona dixit Servator Luc. XVI, 9.

(*g*) Recte Codex primus Basiliensis, ex quo expressimus: Vilitas. Male alter: *Utilitas.* Nam utilitas, nisi ab honesto secreta, hunc in censum non venit.

Caput III.

RERUM NATURÆ AC PRECIA.

XVII. Regina, & princeps rerum omnium præstantissima est VIRTUS: reliqua omnia, si suo velint officio defungi, ancillari oportet.

XVIII. Virtutem *voco, (b) pietatem in Deum* & *homines*, cultum Dei, & *amorem* in homines, *voluntatemque benefaciendi.* XIX. Re-

(b) Perspicue sic satis, ac plene insuper citraque omne involucrum Virtus describitur. Verba quilibet capit. Sed & pietas in Deum, prima ac princeps virtutum, ceu in undecim illarum catalogo, omissa non est. Atqui pietate sublata, fides etiam & societas humani generis, & una, ut Cicero ait, excellentissima Virtus Justitia tollitur. Demum quid aliud insinuatnr, quam Vita Socialis? Benevolentia Universalis? Societas cum Deo & hominibus? *Amor Dei & hominum*, quorum neuter divelli ab altero potest. I. Joan. IV, v. 20. Inde quod Philosophi socialitatem, Christiana Disciplina *Charitatem* adpellat in omnes diffusam, ac Legis implementum, Rom. XIII, 10.

XIX. Reliqua si quis ad virtutem hanc referat, non mala videbuntur.

XX. Nec qui primum hæc nuncupavere bona, sic de illis senserunt, ut nunc vulgus, quod veros illos ac naturales significatus *(i)* corripit, unde & *rerum natura æstimationes mutata sunt.*

XXI. Sic enim sunt intelligenda hæc, quatenus censentur bona. *Divitiæ sunt* non gemmæ, aut metalla, non magnifica ædificia, vel suppellex in-

(*i*) Rectius Codices *Basil. alter, Cantabrig.* & Hamburgens. *corrupit.* Sapienter monitum, vulgus veros ac naturales rerum verborumque significatus, corrupisse. Virtus enim audit, quod vitium est, ac prudentiæ nomen obtinet calliditas ac versutia. Pietas audit stupor aut superstitio. Sincera contra pietas hypocriseos infami nomine traducitur.

ſtructa: ſed *non (l) iis carere, quæ ſunt ad tuendam vitam neceſſaria.*

XXII. Gloria, bene audire de virtute.

XXIII. Honor, veneratio ob virtutem.

XXIV. Dignitas, recta hominum opinio de magna virtute.

XXV. Potentia & regnum, habere multos quibus probè ac rectè conſulas.

XXVI. Nobilitas, excellentia actuũ eſſe cognitum vel à bonis prognatum: *ſimilem parentum ſe præbere.*

XXVII. Generoſus eſt, ad virtutem à natura optimè compoſitus.

XXVIII. Sa-

(*l*) Vides, quis vere dives ſit. Non enim ex eo vivitur, quod quis plus in bonis habeat, quum ſatis ſit ad naturæ deſideria. Notum eſt illud Horatii, cujus initium: *Millia frumenti tua triverit area centum, non tuus hinc capiet venter plus, quam meus, ut ſi Reticulum panis venales inter onuſto forte vehas humero, nihilo plus accipias, quam qui nil portavit.* add. Luc. XII, 15.

XXVIII. Sanitas, talis habitudo corporis, ut valeat mens.

XXIX. Species, lineamenta corporis, quæ animum formosum ostendant.

XXX. Vires & robur, ut exercitiis virtutis sufficias, ne facile defatigeris.

XXXI. Voluptas, *delectatio pura, solida & diuturna*, qualis capitur ex iis solis, quæ ad animum pertinent.

XXXII. Si quis hæc aliter, ut à populo videlicet intelliguntur, discutiat ac expendat, reperiet (*m*) inepta, vana, noxia esse.

(*m*) Quo sensu noxiæ opes, ac vana ineptaque earum penes imprudentem possessio est. *Nonne est manifesta phrenesis, ut locuples moriaris egentis vivere fato?* Ac jure avaro dixeris: Rape, congere, aude, posside. Relinquendum, est. Sunt avari omnium miserrimi, sibi pauperes, hæredibus divites, & quorum ipsi ruina haud rarò exsistunt. add omnino *Ambros. Offic.* I, 49. *Seneca in Proverb. Avarus, nisi cum moritur, nil recte facit.*

XXXIII. Primùm externa omnia vel ad corpus referuntur, vel ad animum, ut divitiæ ad tuendam vitam, honor ad judicium virtutis.

XXXIV. Corpus ipſum nihil aliud eſt, quàm tegumentum vel mancipium animi, cui & natura, & ratio, & Deus ipſe jubent ſubjectum eſſe, ut brutum ſentienti, mortale immortali ac divino.

XXXV. Porrò in ipſo animo eruditio in hoc paratur, ut cognitum vitium facilius fugiamus, cognitam virtutem facilius perſequamur, teneamusque: alioqui ſupervacanea eſt. *(n)*

XXXVI.

(*n*) Vera nimirum eruditio ea eſt, qua anima hominis in tantum emendatur, ut verum a falſo, bonum a malo, juſtis rationibus, ſecernere, & iſtud prudenter eligere ac ſectari: hoc vero rejicere valeat. Neque illum jure dixeris eruditum, (niſi ut vulgus ſolet) qui, quæ in mundo ſciuntur ſcribunturve ab aliis, memoria teneat, multarumque gloria ſcientiarum ſe efferat; ſed illum, qui vitium, quia

XXXVI. Quid aliud eſt vita, (o) quàm peregrinatio quædam, tot undique caſibus objecta & petita? cui nulla hora non imminet finis, qui poteſt leviſſimis de cauſis accidere.

XXXVII.

cognoſcit, fugiat, virtutemque cognitam perſequatur, ac volendi facultatem ſtudio rerum honeſtiſſimarum perficiat, atque exornet. Quosdam inſatiabilis ſciendi cupido, vero eruditionis fructu deſtituta, vehementer torquet, ac in maximam conjicit infelicitatem; non ſecus atque iis evenire ſolet, qui deguſtata potione, ſalſedine gravatâ, ſiti ferme inexplebiili opprimuntur: & quo plus ejus in ſe liquoris ingurgitarunt, eo graviore moleſtiorique bibendi cupiditate fatigantur.

(o) Aureum Monitum, & quod ſemper animo volvendum. Quare ſic agamus ſemper tanquam peregrinantes, & quorum alibi Patria terminusque ſit. Confer infra §. DLXXXVIII.

XXXVII. Quare ſtultiſſimum eſt, cupiditate tam incertæ vitæ, fœdum aliquid, aut pravum agere.

Et quemadmodum in via, ſic in vita, quo quis expeditior, & paucioribus ſarcinis implicitus, hoc levius & jucundius iter facit.

XXXVIII. Tum natura humani corporis ita conſtituta eſt, ut pauciſſimis egeat: ut ſi quis animadvertat, haud dubiè inſaniæ damnet eos, qui tam multa tam anxiè congerunt, quum ſit *tam paucis opus.*

XL. Divitiæ namque, & poſſeſſiones, & veſtimenta in uſum tantum parantur: quem non adjuvant immenſæ opes, *ſed (p) opprimunt, ut navem ingentia onera.*

XLI. Nec

(p) βυθίζουσι, dixit Apoſtolus 1. Tim. VI, 9. demergunt eos in profundum, unde nullus eſt exitus.

XLI. Nec aurum, si non utare, à cœno differt: nisi quòd magis angit ejus custodia: & efficit, ut dum ubi uni studes, ea negligas, quæ maximè sunt homini curanda.

XLII. Est enim pecunia idolorum servitus; quum ei reliqua posthabentur, nempe pietas, & sanctum.

XLIII. Ut transeam, quot insidiæ divitiis tenduntur, quot & quàm variis casibus pereunt, in quàm multa vitia detrudunt.

XLIV. Culta vestimenta quid aliud sunt, quàm superbiæ instrumenta?

XLV. Utile indumentum excogitavit necessitas, preciosum luxus, elegans vanitas: suborta est in vestitu contentio. Hæc multa docuit supervacanea & damnosa, dum homines etiám ex eo (q) qnod infirmitatem nostram arguit, honorem captant.

XLVI. Ita

(q) Forte adversus luxum in vestibus argumentum. Quam stultum eo gloriari, quod infirmitatem lapsumque arguit?

XLVI. Ita divitiarum pars maxima, ædificia, supellex numerosa & opulenta, gemmæ, aurum, argentum, ornamentorum omne genus, spectantium oculis & comparantur, & exponuntur, non possidentium usibus *(r)*

XLVII. Jam Nobilitas *(s)* quid est aliud, quàm nascendi sors & opinio, à populi stultitia inducta? ut quæ sæpenumero latrociniis quæritur.

XLVIII.

(*r*) Non tam iis possessor, quam hospes fruitur. His ergo quis vitæ humanæ pretium statuat?

(*s*) Nobilitas, non quam superius §. XXVI. commendavit: sed quæ mera opinio est, & virtute caret. Neque tamen injuria nonnullis civitatibus placuit, ut præclare meriti cives, eum, in quem ipsi certis cum privilegiis certoque *existimationis intensivæ* gradu collocati sunt, statum in sobolem suam, per nativitatem, velut aliquam hæreditatem transmitterent: Ea enim res virtutem civium extimulatura ac prolem ad splendorem propriis artibus tuendum excitatura credebatur.

XLVIII. Vera & ſolida nobilitas *(t)* à virtute naſcitur. Stultumque gloriari te parentem habuiſſe bonum, quum ſis ipſe malus, & turpitudine tua dedecori ſis pulchritudini generis.

XLIX. Sed certè omnes ex eisdem conſtamus clementis, & idem omnium Pater Deus.

L. Igno-

Quanquam ſtolide quis inde concluſerit, vel in ipſa *natura ortuque aliquid immutari*, vel novum animis vigorem infundi. Manet naturalis æqualitas, quæ plebejo dicendi Jus ad nobilem ſervat: *utique æque homo ſum atque tu*. Manet etiam Chriſtianæ Religionis decretum: *τῇ τιμῇ ἀλλήλους προηγεῖσθαι* *Rom*. XII, *v*. 20. *Philipp*. II, 3. ac ſcita ejus, parando Numinis favori non nobilitatem, potentiam divitiasve; ſed pietatis ſinceritatem commendant, quæ æque in humilem, quam illuſtri poſitum loco cadere poteſt. Conferatur, ſi placet, *Pufendorf*. de Off. H. & C. I, 7, 2. & de Jure N. & G. VIII, 4, 25.

(*t*) Singulare proin deliberandi argumentum Nobilibus hoc eſſe debebat; qua de-

L. Ignobilitatem *(u)* contemnere, hoc est Deum nascendi autorem tacitè reprehendere.

LI. Potentia quid est aliud, quàm speciosa *(x)* molestia? in qua si quis sci-

mum ratione verus de nobilitate sensus Juventuti a teneris instillari, ac miseranda tot insignium familiarum extinctio, quam vel duobus abhinc seculis experti sunt, averruncari a superstitibus possit? *Addatur Dn. a Sekendorf.* de Statu Christianismi II, 3. 4. & eo in additionibus.

(*u*) Sive potius, quod omnes Deus naturâ æquales fecerit. Non enim statim ignobilis adpellandus, cui hereditarius ille valor deest.

(*x*) Moriturus proinde Philippus III. Hispaniarum Rex Sacerdotem, quem a confessionibus habebat, monuit, ut Ecclesiæ cœtui, hoc suo nomine graviter inculcaret: Nihil quidquam prodesse, Regem esse, nisi quod cruciet, fuisse. Videatur de Philippi quoque II. obitu Thuanus.

sciret, quæ solicitudines, quæ anxietates insint, quantum malorum mare, nemo est tam ambitiosus, qui non eam fugeret, ut gravem miseriam.

LII. Quantum est odium, si regas malos? quanto majus, si malus ipse?

LIII. Honor si ex virtute non oritur, pravus est: sin ex virtute, hoc præstat virtus, ut is negligatur. aliter vera non erit virtus, si quid honoris facit gratia: sequi enim debet honor, non expeti.

LIV. Dignitates, quis potest sic appellare, quum indignissimis quoque hominibus contingant? nempe fraude, ambitione, præmiis, pessimis artibus quæsitæ.

LV. Et gloria, est ne aliud, quàm (ut ille dixit) aurium vana inflatio?

LVI. Ex qua, ut honore & dignitate, nihil omnino ad eum pertingit, de quo sunt: & incertæ, vagæ, iniquæ, momentaneæ sunt, similes *parentis suæ, multitudinis:* quæ eodem die eundem

dem hominem commendat atque evehit summè, & vituperat ac deprimit extremè.

LVII. Quid dicam, nasci ex his rebus partim deridendis, partim stultis, partim sceleratis, sicut ludo pilæ, profusione patrimonii in comissationes, scurras, mimos: bello potissimum, hoc est, *impunito latrocinio*, (y) quo magis vulgi dementiam agnoscas?

LVIII. Se-

(y) Bellum vocat impunitum latrocinium; non illud ex Justis causis, sed quod ex merè svasoriis, citraq; necessitatem susceptum est, ac in quo *Jura humanitatis* abolita videntur. Cæterum sæva ubique res bellum est, inquit Plutarchus, cumulumq; secum trahit injuriarum & insolentiæ. Ac si Deus a Davide, qui pia bella gessisse dicitur, ideo templum ædificari vetuit, quod multum sanguinem fudisset: quis non videt, quam res sit infelix & mali ominis, quantoque nisu fugiendum bellum, etiam non injustum. Cavendum etiam, ne sub *Ratione Belli* facta crudelitatis atque injustitiæ famam incurrentia commendentur, aut excusentur. Quod

LVIII. Secedat in se unusquisque, ac solus cogitet: inveniet quàm parum ad se attingat ex fama, rumoribus, veneratione, honore populi, de quibus gloriatur.

LIX. Quid in somno, quid in solicitudine inter summum regem interest, & infimum servum?

LX. Denique sic unusquisque sentiat: nobilitatem, honores, potentiam, dignitates ex prisca hominum persuasione, quam Christus animis suorum ademit, nata & relicta esse, & in Christianos homines invecta, (z) tanquam lolium, quod hostis diabolus aspersit bonæ segeti Dei.

LXI. In-

argumentum singulari Dissertatione exhausit Ulr. Obrechtus. Add. Christoph. Forstner ad Tacit. Annal. XIII, 41.

(z) Malo scilicet animo, & ad opinionem usumque vulgi, quem hactenus expressit, possessa. Rem serio exposuit, ut alibi passim, sic in Mythologia præcipue Christiana Theologorum Phœnix Jo. Valent. Andreæ Manipulo VI. apologo XXVIII.

LXI. In corpore ipſo quid eſt forma? nempe cuticula bene colorata: ſi *(aa)* interiora cerni poſſent, quanta vel in corpore ſpecioſiſſimo cerneretur fœditas?

LXII. Lineamenta & corporis decor quid juvant, ſi turpis ſit animus? & ſicut Græcus ille dixit, in hoſpitio pulchro hoſpes deformis?

LXIII. Robur quorſum pertinet in homine, quum res maximæ & homine dignæ, non viribus nervorum gerantur, ſed ingenii?

LXIV. Nec vires quantumcunque augeantur, majores erunt quàm tauri vel elephanti: ratione illos, ingenio, virtute ſuperamus.

LXV. Tranſeo quòd forma, vires, agilitas, & cæteræ corporis dotes, ut floſculi, celeriter marceſcunt, exiguis caſi-

(*aa*) Mendoſe legit Codex Baſilienſis uterque: *intraria*. Itaque correximus è Cantabrigienſi & Hamburgenſi; *ſi interiora* cerni poſſent.

casibus diffugiunt: vel una febricula validissimum quandoque hominem concutit, & summum decorem tollit.

LXVI. Ut nihil accidat, certè necesse est illa omnia, *cum ætate* flaccescere, ac decidere.

LXVII. Nemo ergo potest externa jure sua dicere, quæ tam facile ad alios transeunt: nec corporea, quæ tam citò avolant.

LXVIII. Quid quòd hæc quæ multi admirantur, magnorum vitiorum sunt causæ: velut insolentiæ, arrogantiæ, socordiæ, ferocitatis, livoris, æmulationis, simultatum, rixarum, bellorum, cædis, stragis, cladis?

LXIX. Delectatio corporis, ut corpus ipsum, vilis ac pecudina est, qua sæpius, & vehementius, & diutius, pecora quàm homines perfruuntur.

LXX. Ex hac quum morbi plerique ad corpus redundant, & ad rem familiarem permagna damna: tum ad animum certa pœnitentia, & hebetudo in-

ingenii, quod deliciis corporis extenuatur, ac frangitur: denique odium virtutum omnium.

LXXI. Nec apertè frui licet. nam ut dedecent generositatem nostræ mentis, ita nemo tam perditus est, quin eas erubescat apud arbitros capere: pariunt enim ignomiam, idcirco tenebras & latebras quærunt.

LXXII. Quid? quòd sunt fugacissimæ & momentaneæ, nec retineri ulla vi possunt, nec unquam veniunt puræ, cujuscunque amaritudinis expertes?

LXXIII. Ergo exclusis vulgi sensibus, ***maximum malum*** putato, non paupertatem, aut ignobilitatem, aut carcerem, aut nuditatem, ignominiam, deformitatem corporis, morbos, imbecillitatem: *sed vitia*, (*b*) & his proxima, inscitiam, stuporem, dementiam.

LXXIV.

(*bb*) Cic. Offic. III, 6. errat, inquit, qui ullum aut corporis aut fortunæ vitium animi vitiis gravius existimat.

LXXIV. Magnum bonum credito horum contraria, virtutem, & quæ huic sunt finitima, peritiam, acumen ingenii, sanitatem mentis.

LXXV. Reliqua vel externa, vel corporis, si habes, proderunt tibi, ad virtutem relata: oberunt, ad vitia. Si non habes, cave ne quæras, *vel cum minimo dispendio virtutis.*

LXXVI. Prolixus quæstus est,* pietas cum sufficientia. Fama, tametsi nihil agendum est ut videaris, conservanda tamen est integra, quòd interdum ea cura à multis nos turpibus cohibet, sed præcipuè in exemplum cæterorum.

* 1. Tim. VI, 6. ut maximus quæstus est, LUCRARI ANIMAM. Math XVI. 26.

LXXVII. Unde præceptum illud sapientium & sanctorum virorum: *Nec malum faciendum, nec ejus simile.*

LXXVIII. Quod si hoc assequi non possumus, conscientia debemus esse contenti: & quum tam depravati erunt hominum sensus, ut quæ sunt optima, putent esse scelestissima: tunc labo-

randum erit, *ut interna & externa soli Deo approbemus*, (cc) idque abunde nobis sufficiat.

LXXIX. Etiam mala, quæ dicuntur corporis, vel fortunæ, licebit in bonum vertere, si patienter feras: & tanto sis ad virtutem promptior, quo minus tibi in illis succedit, ac proinde es expeditior.

LXXX. Sæpenumero ex damnis corporis, vel externorum, magnæ sunt accessiones virtutibus natæ.

Caput IV.
DE CORPORE.

LXXXI. Et quoniam, in hac nostra peregrinatione, animum gestamus in corpore inclusum, maximasque opes in vasis fictilibus: non omnino repudiandum nobis est & contemnendum corpus.

LXXXII.

(cc) Faciet hoc Deum credens timensque, & læto animo sinistra mortalium judicia sustinebit.

LXXXII. Sic curandum tamen, ut ſe non dominum, non ſocium eſſe ſentiat, ſed *(dd)* mancipium: nec ſibi paſci, aut vivere, ſed alteri.

(dd) Ne animo ſuis in actionibus impedimento ſit. Quo tamen ipſo curam corporis, cujus fulturis, ut Plinius dixit, animus ſuſtinetur, non prohibet, ſed ſequentibus præceptis docet, graviterque inculcat. Quare vires ejus congruentibus utique alimentis, tegumentis, & laboribus firmandæ conſervandæque ſunt. *Stoica* de cætero phraſis eſt, quæ corpus mancipium dicit; cujus tamen ſenſum Cicero, primo Tuſculan. expreſſit; Te, inquiens, Noſce. Atqui hanc id præceptum Apollinis vim habet, ut ſe quisque noſcat. Non enim id præcipit, ut membra noſtra, aut ſtaturam figuramque noſcamus; neque nos Corpora ſumus: neque ego tibi dicens hoc, corpori tuo dico. Cum igitur NOSCE TE, dicit: hoc dicit: Noſce animum tuum. Nam corpus quidem quaſi vas eſt, aut aliquod animi receptaculum: ab animo tuo quidquid agitur, id agitur a te. Add. *Lipſius Phyſiolog. Stoicor.* L. III. Diſ-

LXXXIII. Quo curatius est corpus, hoc animus neglectior.

LXXXIV. Quo mollius habetur corpus, hoc acrius menti reluctatur: & ut equus delicatè pastus, sessorem excutit. *(ee)*

LXXXV. Gravis sarcina corporis, animum elidit: acumen ingenii, sagina corporis, aut indulgentia retunditur.

☞ LXXXVI. *Cibi, somni*, exercitationes, tota corporis curatio, ad sanitatem referenda est, non ad voluptatem: ut animo promptè inserviat, nec ferocia cultus insolescat, neu virium inopia decidat.

LXXXVII. Nihil est quod æquè & vigorem mentis debilitet, & robur ac nervos corporis infringat, ut voluptas. quippe vires omnes & corporis & men-

sert. III. Operum Tomo IV. p. 970. edit. Vesaliens.

(ee) Ne corporis explendo necessitatem, excedas modum: ne libidinis fomenta eidem subministres. Rom XIII. ult.

mentis, opere ac labore vegetantur, ocio & mollicie voluptatis languescunt.

LXXXVIII. Mundicies corporis *(ff)* & victus, citra delicias aut morositatem, ad valetudinem & ingenium confert.

LXXXIX. Ablues subinde manus & faciem frigida, detergesque mundo linteolo.

XC. Repurgabis crebrò eas partes, quæ sordibus & recrementis ad extima corporis meatus præbent.

XCI. Hæ sunt, caput, aures oculi, nares, axillæ, & pudenda.

(ff) Singulare victus ita compositi exemplum tenuit *Nicolaus Peireskius*. cujus vitam descripsit *Petrus Gassendus*. Ac legi de hoc argumento meretur ejus Operis Liber sextus. Quo, inter cætera: cum, inquit, admodum foret sobrius, neque in ciborum delectu morosus: ea quoque fuit continentia, quam prædulce malum luxuries tota vita nunquam fefellit.

XCII. Pedes mundi & calidi foveantur.

XCIII. Arceatur frigus quum ab aliis partibus, tum vel maxime à cervice.

XCIV. Ne ſtatim edas à quiete, nec ante prandium, niſi tenuiter.

XCV. Jentaculum enim ſedando ſtomacho, aut refocillando datur corpori, non ſatietati.

XCVI. Ideo tres aut quatuor panis bucceæ ſufficiunt, ſine potione, aut certè exigua, atque ea tenui; ſalutare hoc non minus ingenio, quàm corpori.

XCVII. In prandio & cœna aſſueſce non veſci, niſi ex uno obſonii genere: eodem ſimpliciſſimo, &, quantum per facultates licebit, ſaluberrimo, quamvis multa menſæ inferantur: & ſi tua ſit menſa, noli admittere.

XCVIII. Varietas ciborum homini pestilens, pestilentior condimentorum. (gg)

(gg) Hoc Medici discutiant. Sed & Conringius, Polyhistor Medicus, de habitu corporum Germanicorum caussis præclaro libro, sententiam dixit, & de pravis nostrorum moribus conquestus est. Pene, ait, dixeris in nonnullos convenire illa Plautina:

Ei homines cœnas sibi coquunt: cum condiunt
Non condimentis condiunt, sed strigibus:
Vivis convivis intestina quæ exedunt.
Hoc hic quidam homines tam brevem vitam colunt,
Cum hasce herbas hujusmodi in suum alvum congerunt,
Formidolosas dictu, non esu modo:

Quas herbas pecudes non edunt, homines edunt.

Professa etiam opera hoc argnmentum tractavit D. D. Speneius, incomparabili Opere homiletico, de Officiis Vitæ Christianæ, pagina inprimis 32. sqq.

XCIX. Munda & pura parsimonia, temperatis & castis animis congruens, conservatrix rei familiaris: & quæ sola efficit, ne multis indigere nobis videamur, nec suscipiamus pessima facinora quæstus gratia, quo gulæ morem geramus, irritatæ vel luxu, vel lauticiis, vel delicatis nimium & exquisitis cibis.

C. Tum præstat, ut quæ adsunt, non modò nobis sufficiant, sed ex eis liceat egentibus impartiri.

CI. Ostendit hoc Dominus exemplo sui: qui post exaturatam multitudinem, reliquias perire panum & piscium non est passus.

CII. Natura necessaria docuit, quæ sunt *pauca & parabilia.* Stultitia superflua excogitavit, quæ sunt infinita & difficilia.

CIII. Naturæ si des necessaria, delectatur & roboratur, tanquam propriis

priis: ſin ſuperflua, debilitatur & affligitur, tanquam alienis. (*bb*)

CIV. Stultitiam neceſſaria non explent: ſuperflua quum obruant, non ſatiant.

CV. Potus erit, vel naturalis ille, univerſis animantibus in commune à Deo paratus, pura & liquida aqua: vel tenuiſſima * cerevifia, vel vinum bene dilutum.

*| *Small beer*, nativo vocabulo dicunt Angli.

CVI. Nihil eſt quod juvenum corporibus magis officiat, quàm calidus cibus, aut potus; incendit enim & exu-

(*bb*) Nunquam plus æquo eſſe ſaburratum, ſapientis eſt. Contra, corpus onuſtum

Heſternis vitiis, animum quoq; prægravat.

Regulas præſcripſit Eccleſiaſticus in ſacris liber, XXX, 27, XXXVII, 34. Hoc me docuiſti DEUS, ut quemadmodum medicamenta, ſic alimenta ſumtum accedam. Auguſtin, Conf. X, 31.

exurit eorum viscera agitque in libidinem & temeritatem præcipites. (ii)

CVII. A cœna ne bibe: aut si id admonet sitis, sume humidum aliquid, & frigidiusculum, aut perpusillum tenuis potiunculæ.

CVIII. Inter eam potionem & quietem, interpone quam minimum horæ dimidium.

CIX. Levaturus animum, fac cogites, quàm exiguum tempus datum sit vitæ hominum: ex illo non oportere mul-

(ii) Calidum, ut medici ajunt, potentia cibum potumve haud dubie intelligit. Addit idem, quem ante laudavi, Conringius, vini usum ad cohibendum corporis incrementum facere. Deprehendes, ait, quaqua incessit vinum, pristinam altitudinem sensim correptam, & mutilata corporis dignitate robur ipsum esse imminutum: alibi vicissim, damnato per religionem vino, ut in Asia, priscam corporum brevitatem nova altitudine emendatam. Confer, si placet, libri laudati p. 96. sqq.

multum diſcindi ad luſus, ad comiſſationes, ad puerilitates, ad ineptias.

CX. Breve ſpacium eſſe vitæ noſtræ, etiam ſi totum bonæ menti impenderetur.

CXI. Non eſſe nos à Deo creatos ad luſum, aut nugas: *ſed ad ſeria*, ad moderationem, modeſtiam, temperantiam, religionem, omne genus virtutis & laudis.

CXII. Morbos corporis, morbis animi ne curaveris.

CXIII. Exercitationes corporis non erunt immodicæ; cæterum aptandæ rationi valetudinis, in quo ſequenda erunt medicinæ conſultorum conſilia.

CXIX. Sic tamen, ne quid habeant turpe, immodeſtum, obſcœnum, flagitioſum: etiam in remiſſionibus, & refectionibus animi adſit aliqua memoria virtutis.

CXX. Abſit arrogantia, contentio, rixa, invidia, cupiditas. qui enim convenit cruciare animum, dum delectare

 ſtudes?

studes? non aliter quàm si fel infundas in id mel, quod cupis esse quàm dulcissimum.

CXVI. Somnus sumendus est tanquam medicina quædam, curando corpori, tantummodo quantus sufficit: immodicus enim reddit corpora redundantia noxiis humoribus, segnia, pigra, lenta, & celeritatem mentis tardat.

CXVII. Nec est existimandum vitæ id tempus, quod somno impenditur: vita enim vigilia est.

Caput V.

DE ANIMO.

CXVIII. In animo sunt (*Kk*) duæ partes: illa quæ intelligit, meminit

(*Kk*) Partes Stoicis: Facultates ac δυνάμεις Peripateticis: Gradus Varroni audiunt. Conf. *Augustin. de Civ. DEI*, VIII, 33: qui e Varrone pulcherrima isto de argumento conservavit, quæ desiderium me-

minit, sapit, ratione, judicio, ingenio utitur ac valet. Hæc pars superior appellatur, & proprio nomine, *Mens*: qua homines sumus, qua (*ll*) Deo similes, qua cæteris animantibus præstamus.

CXIX. Est verò altera ex conjunctione corporis, bruta, fera, atrox, bestiæ quàm hominis similior: in qua sunt

rito suscitant eorum, quæ laudat, scriptorum Varronis; at quæ publico pessime perierunt. Addi etiam potest *Lipsius*, physiolog. Stoic. L. III. Dissert. XVI. Gradus de cœtero vocavit, a præstantia: & quod alia facultas aliam, quasi adscensu quodam, excedat. Cicero distinguit in appetitum & rationem; quem vide Officior, I. 28. sub fin.

(*ll*) Quo nimirum sensu heroicum illud hæmistichium Arati, Paulo laudatum dixit: τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν. Soboles quædam Dei, ob mentis similitudinem. Nec male Lactant. de Opific. DEI c. XVI. videtur, ait, mens quæ dominatum corporis tenet, in summo capite constituta, tanquam IN COELO DEUS.

ſunt motus illi, qui ſive affectus, ſive perturbationes nominantur, Græcè πάθη: arrogantia, invidentia, malevolentia, ira, metus, mœror, cupiditas, ſtulta gaudia. pars inferior nominatur etiam Animus, qua nihil à beluis differimus, & quàm longiſſimè diſcedimus à DEO, extra morbum & perturbationem omnem poſito.

CXX. Hic eſt naturæ ordo, ut ſapientia regat omnia, pareant homini cætera quæ videmus: in homine verò (*mm*) corpus animo, animus men-

(*mm*) Pars, ut ajunt, inferior, iraſcibili & concupiſcibili facultate conſtans. Superior, Mens, τὸ λογικὸν, Νοῦς. Non abſimiliter Ariſtoteles 1. Polit. III, p. 14. ἡ μὲν ψυχὴ τοῦ σώματος ἄρχει. ὁ δὲ νοῦς τῆς ὀρέξεως. Animus corpori: mens autem adpetitui imperat. Judæis quoque נפש anima eſt vitalis: רוח ſentiens: נשמה intelligens. Ac eo quidem ſenſu animus auctori dicitur, quo nihil a beluis differamus §. CXIX. cujus uti duæ,

menti, mens Deo. Si quid hunc ordinem egreditur, peccat.

CXXI. Ergo peccatum est, in homine perturbationes illas tumultuari, sævire, ac trahere ad se jus & ditionem totius

secundum Platonem, facultates sunt; Concupiscibilis una, altera irascibilis: ita duplex quoque ejus objectum idem Philosophus constituit. Bonum, ut ait, plantale & brutale. Illud cibum esse dixit, ac potum, rem item veneream, ac horum instrumenta, divitias: hoc vero victoriam adpellavit & honorem, circa quod adpetitus irascibilis occupetur. Plantalem facultatem, cui vim concupiscibilem tribuit, ventriculo; brutalem (cui propriam irascibilem dedit,) cordi inesse statuit: Rationali, sedem cerebrum adsignavit. Sed ista quidem nos obiter, eorum in gratiam, qui priscos legunt, ac multa passim confusa deprehendunt. Adde interim, si placet, *Jacob. Thomasium*, Dialog. Phys. c. XLV, 5, & XLVIII. 95. Et quomodo orta inde distributio *virtutum*, (quam non Cicero saltem, sed & auctor Sap. VIII, 6. servavit,) *Cardinalium*? ut partis rationalis esset

totius hominis, spreta & contempta mente: mentem, etiam relicta Dei lege, animo & corpori servire.

Caput VI.

DE ERUDITIONE.

CXXII. IDcirco menti indita est vis intelligendi, ut singula expendat, sciatque quid factu bonum sit, quid secus: & vis volendi summa, ut imperio hujus nihil sit in animo quod non pareat, si illa contendat, nec de jure decedat suo.

CXXIII. Ingenium multis artibus, & humanis & divinis, excolitur & acuitur: instruiturque magna & admirabili rerum notitia, quo exactius singulorum naturas & precia cognoscat: possitque voluntatem docere, quid sequendum bonum, quid vitandum malum.

CXXIV.

Prudentia: irascibilis, fortitudo: Concupiscibilis, Temperantia: ὅλης τῆς ψυχῆς totius animæ, Justitia: confer edifferentem, Philos. Moral. Tab. XXIV, lin. 22. sq.

CXXIV. Igitur fugiendæ artes, quæ cum virtute pugnant: quales sunt (nn) *divinatrices* omnes, quæ à Græcis *μαντεῖαι* dicuntur: * ut chiromantia, hydromantia, etiam astrologia, in quibus est plurimum exitiabilis vanitatis, excogitatæ ab impostore nostro diabolo.

* Inde *μαντικὴ*, quæ Latinè divinatio dicitur. Cicer. de Nat. Dei. I, 20.

CXXV. Tractantque, & profitentur id, quod sibi uni Deus reservavit, futurarum & abstrusarum rerum peritiam.

CXXVI. Nec inquirendum in Dei majestatem, & arcana à cognitione nostra

(nn) Homini facultatem vaticinandi inesse apud *Plutarchum* docuit Ammonius; cujus rationes fusiùs exposuit pressiusque ursit Petrus Petitus, Medicus & Philosophus Parisiensis. Utrique autem fecit satis, peculiari, de quæstione: *An naturali homines polleant vaticinandi facultate?* edito schediasmate Vir insignis & celeberr. *Jo. Franciscus Buddeus.*

ſtra procul remota, à quibus Deus hominem arcuit.

CXXVII. Qui ſcrutatur * majeſtatem, opprimetur à gloria.

* *Prov.* XXII, 27.

CXXVIII. Et Paulus jubet nos non plus ſapere, quàm oporteat: * ſed ſapere ad moderationem. Hebræus quoque concionator inquit: Altiora te ne quæſieris, & fortiora te ne ſcrutatus fueris: ſed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita ſemper, & in pluribus operibus ejus ne fueris curioſus. *

* *Rom.* XII, 3.

* *Sir.* III, 21.

CXXIX. Et arcana illa, quæ vidit, negat licere homini eloqui.

CXXX. Vitanda ars omnis à dæmone tradita, cum quibus velut Dei hoſtib. nullum debet nobis eſſe commercium.

CXXXI. Nec expedit vel philoſophorum, vel hæreticorum opiniones, pietati noſtræ contrarias, cognoſcere:

ne

ne quem ſcrupulum ſubtilis artifex diabolus in animos noſtros injiciat, qui nos nimium torqueat, etiam adducat in exitium.

CXXXII. Non attingendi autores (oo) ſpurci, ne quid ſordium animo ex contagio adhæreat.

CXXXIII. Corrumpunt bonos mores collucutiones malæ.

CXXXIV.

(oo) Scaliger in Poetic. vel in ſolo Juvenali loca quædam eſſe exiſtimat, quæ efficere poſſint, quare Vir bonus toto opere abſtinere debeat. De *Andrea* quoque *Naugerio* refert Paulus Jovius, eum Valerii Martialis ſcriptis ob ſpurcitiem adeo infeſtum fuiſſe, ut quotannis ſtato die, Muſis dicato, multa ejus volumina tanquam impura, cum exeratione Vulcano dicaverat. Notum conſilium eſt, quod Jo. Schefferus ſuppeditavit, ut ex iis Scriptoribus, qui obſcœna quandoque admiſcent, ſeligantur, ac ſeorſim publicentur, quæ a juventute citra damnum legi poſſunt. Conferatur idem, quem modo laudavimus, Buddeus de *cultura ingenii*.

CXXXIV. Reliqua eruditio munda eſt, & frugifera: referatur modò ad ſuum ſcopum, virtutem, hoc eſt rectè agere.

CXXXV. Eſt divina eruditio à Deo tradita, in qua ſunt theſauri omnes ſcientiæ & ſapientiæ reconditi. hæc vera mentium lux; reliqua omnis ad hanc collata, denſiſſimæ ſunt tenebræ, & ut res hominum ludicra & puerilis.

CXXXVI. Legitur tamen vel in hoc, quo tanquam ex comparatione fulgentior appareat noſtra lux.

CXXXVII. Tum ut teſtimoniis hominum adverſus eos utamur, qui divinis parum acquieſcunt, ut vitioſi oculi averſantes ſolis ſplendorem.

CXXXVIII. Ad nos quoque commonefaciendos, quum in multis gentilium tanta præſtantia fuerit virtutis, quantam eſſe convenit in homine Chriſtiano, diſcipulo magiſtri Dei: cui ex luce pietatis, quam profitetur, magna eſt impoſita neceſſitas bene vivendi.

CXXXIX.

CXXXIX. Suppeditant quoque facundiam & uſum, ac prudentiam vitæ communis, quîs nonnihil interdum indigemus. *(pp)*

CXL. Tri-

(pp) Extat Oratio Baſilii Magni: ὅπως ἂν ἐξ ἑλληνικῶν ὠφελοῖντο λόγων; quomodo ex ſcriptis Gentilium utilitatem capere debeamus? Verba nonnulla Latine dabimus, quia ex inſtituto docent, quod ſæpe in dubitationem venit. Siquidem, ait, aliqua Doctrinarum mutua eſt affinitas: admodum utilis erit earum (ſecularium literarum) cognitio. Sin minus, attamen inter ſe contendere, non parum confert ad confirmationem potioris. Ac rurſus: Sicut plantæ virtus propria eſt, maturo fructu turgere: addunt autem aliquid decoris folia ramis circumjecta: ita animæ præcipuus quidem fructus eſt *Veritas*: non tamen ingratum eſt externam Sapientiam cingere & circumponi inſtar foliorum, cum tegmentum tum ſpeciem non inanem fructui præbentium. Conferri etiam meretur Auguſtinus de Doctrina Chriſtiana II, 40.

CXL. Tribus velut instrumentis fabricamus eruditionem: ingenio, memoria, cura.

CXLI. Ingenium (qq) exercitatione acuitur.

CXLII. Memoria, excolendo augetur.

CXLIII. Utrunq; enervant deliciæ, bona valetudo confirmat, ocia & diuturnæ remissiones profligant, exercitamenta ad manum & in promptu ponunt.

CXLIV. Si legis ipse quid, sive audis, attentus id fac: nec vagetur mens tua, sed coge illam ibi esse, & agere quod adest, non alia.

CXLV. Sin incipit digredi, parvo murmure eam revoca: cogitationes omnes ab studiis alienas, in aliud tempus differ.

(qq) Illa tantopere varians facultatum mentis inter homines perfectio; quam velut agrum, diligenter excolere, doctrinisque conserere par est liberalibus.

CXLVII. Quæ ignoras, ne pudeat quærere. Ne erubeſce à quovis doceri, quod maximi viri non erubuerunt. erubeſce potius ignorare, aut nolle diſcere.

CXLVIII. Quæ ignota tibi ſunt, ne jactes te ſcire: ſciſcitare potius ab iis, quos ſcire credis.

CXLIX. Si videri vis doctus, da operam, *ut ſis*: nulla eſt compendioſior via: quemadmodum non alia ratione facilius conſequêris, ut exiſtimeris bonus, quàm *ſi ſis* talis.

CL. Denique, *quicquid videri cupis, fac ut ſis*: aliter fruſtra cupis.

CLI. Falſa tempus infirmat, vera corroborat.

CLII. Nulla ſimulatio diuturna.

CLIII. Magiſtrum ſemper ſequere, noli præcurrere: & illi crede: ne repugna.

CLIV. Ama illum, & parentis loco habe; putaque veriſſima & certiſſima eſſe, quæcunque dicit.

CLV. Attende, ut quod semel erraſti, emendatus iterum aut tertiò ne idem pecces. Labora, ut proficiat emendatio.

CLVI. Illorum decet te præcipuè meminiſſe, in quibus falſus es, ne te rurſum decipiant.

CLVII. Cujusvis hominis eſt errare: nullius, niſi inſipientis, perſeverare in errore.

CLVIII. Scito nullum eſſe ſenſum, per quem promptius docemur, quàm auditum.

CLIX. Et nihil facilius, quàm audire multa, & nihil utilius.

CLX. Nec malis levia, aut inepta, aut ridicula audire: quàm ſeria, gravia, prudentia.

CLXI. Pari labore utraque diſcuntur, quum ſit adeò commodum diſpar.

CLXII. Ne labores quàm multa reſpondeas, ſed quàm aptè, & in tempore.

CLXIII. Prandio tuo & cœnæ illos adhibe, qui te possint instituere, quique suavi ac docta collocutione pariter & exhilarent te, & peritiorem reddant.

CLXIV. Scurras, parasitos, *imperitè* loquaces, aut *spurcè*, moriones, nugatores, bibaces, & id genus hominum aptum ad risum movendum vel verbis, vel factis, nec honore mensæ tuæ digneris: nec illi te, dum reficeris, oblectent, sed potius jucunda aliqua & ingeniosa confabulatio.

CLXV. Non os modo à turpibus cohibe, sed etiam aures, tanquam fenestras animi, memor dicti veteris, quod citat Apostolus: Corrumpunt mores probos confabulationes malæ. *(rr)*

(rr) 1. Cor. XV, 33. Est versus ex Thaide Menandri, ut Hieronymus nos docet. Tertullianus Trimetro liberiore, qualem Comœdiæ Latinæ usurpant, sic transtulit; *Bonos corrumpunt mores congressus mali.*

CLXVI. Sive ad mensam, sive alio quovis loco, diligenter, quid quisque dicat, ausculta.

CLXVII. Ex sapientibus disces, quo fias melior.

CLXVIII. Ex stultis, quo fias cautior.

CLXIX. Quæ sapientes probarint, sequêris.

CLXX. Quæ stulti laudarint, vitabis.

CLXXI. Si quid videris à cordatis recipi, tanquam vel argutè, vel graviter, vel sapienter, vel doctè, vel ingeniosè, vel urbanè dictum, retinebis, ut & ipse in occasione utaris.

CLXXII. Habebis librum chartaceum, in quo annotabis si quid legeris, vel audieris dictum festivè, aut eleganter, aut prudenter: vel vocabulum aliquod exquisitum, rarum, utile sermoni quotidiano, ut quum usus poscat, habeas paratum.

CLXXIII. Annitere, ne ſola verba intelligas, ſed præcipuè ſenſa.

CLXXIV. Quæ legeris, vel audieris, fac aliis narres, tum tuis condiſcipulis Latinè, tum aliis lingua tibi vernacula: & conare, ne minus ipſe vel lepidè, vel venuſtè referas, quàm audieris, aut legeris: ſic & ingenium exercebis, & linguam.

CLXXV. Eſt etiam tractandus & agitandus ſæpenumero ſtylus, optimus dicendi magiſter.

CLXXVI. Scribe, tranſcribe, reſcribe crebrò atque annota: compone alternis diebus, aut ad ſummum, tertio quoque, epiſtolam ad aliquem qui tibi reſpondeat: & tuam oſtende inſtitutori emendandam. Mendarum, quas ſuſtulerit, fac recordere, ne rurſus ad eaſdem impingas.

CLXXVII. Poſt cibum, velut à prandio & cœna, ceſſet ſtudium: ſumpto prandio ſede, confabulare, audi ali-

quid suave: aut sic lusita, ne nimium corpus exagites & concutias.

CLXXVIII. Post cœnam, quam volo esse modicam, deambulato cum jucundo aliquo & docto confabulatore, qui te sermone oblectet, cujus verba & sententias imitari cum decore possis.

CLXXIX. Inter cœnam & quietem, vita omnino potum: nihil perniciosius simul corpori, memoriæ, ingenio. quum urgebit te sitis, si biberis, pone inter potum & lectum intervallum quum minimum semihoræ.

CLXXX. Memoriam quiescere non sines.

CLXXXI. Nihil est quod æquè labore gaudeat, & augeatur.

CLXXXII. Commenda ei quotidie aliquid.

CLXXXIII. Quo plura commendabis, hoc custodiet omnia fidelius: quo pauciora, hoc infidelius.

CLXXXIV. Quum aliquid ei credideris, sine eam quiescere: & aliquanto

quanto post ab ea *velut depositum* reposce.

CLXXXV. Si quid vis ediscere, id de nocte quater aut quinquies attentissimus legito: hinc ito cubitum, de mane exigito à memoria rationem ejus, quod pridie credideris.

CLXXXVI. Cavendum à crapula, à cruditate, à frigore, potissimum cervicis.

CLXXXVII. Vinum memoriæ mors.

CLXXXVIII. Optimum esset singulis noctibus paulo antequam cubitum concederes, in sella te sine arbitris sedentem, quæcunque die illo vidisses, legisses, audisses, egisses, in memoriam revocare.

CLXXXIX. Si quid fecisses honestè, moderatè, prudenter, cordatè, cum decore & laude, gauderes: sciresque id esse Dei munus, & similia pergeres facere.

CXC. Si quid turpiter, immodestè, flagitiosè, pueriliter, ineptè, vituperio

dignum, scires ex tua malitia profectū: doleres, & vitares in posterum. *(ss)*

CXCI. Si quid vel audisses, vel legisses elegans, doctum, grave, sanctum, retineres.

CXCII. Si quid vidisses probatum, imitarere: si quid improbatum, fugeres. *(tt)*

CXCIII.

(*ss*) De nocturno Conscientiæ scrutinio præclare *Seneca*, allato Sextii exemplo: *de Ira* III, 36. Faciebat, ait; ut consummato die, cum se ad nocturnam quietem recepisset, interrogaret animum suum, quid hodie malum tuum sanasti? cui vitio obstitisti? qua parte melior es? Sed & præclare idem de se ipso, eodem loco.

(*tt*) Impense commendanda hoc loco Meditatio, cui omnia tribuit illud *Periandri* Oraculum: Μελέτη τὸ πᾶν. At apud plurimos ignavia efficit, eum ut laborem subterfugiant. Accedit meditationis difficultas, quam ii sentiunt, qui mentem ad eam non adsuefecerunt. Sed est hoc quidem argumentum, quod a summis ingeniis excoli meretur, & a nobis tactum heic esse sufficit. Add Sekendorf. de Statu Christianismi III, §. 9.

CXCIII. Nulla tibi abeat dies, in qua vel non legeris, vel audieris, vel ſcripſeris aliquid, quod ſeu eruditionem, ſeu judicium; ſeu virtutem augeat.

CXCIV. Cubitum iturus lege, vel audi aliquid dignum, quod memoriæ mandetur, & de quo ſalubre ac jucundum ſit per quietem ſomniare: ut etiam nocturnis viſis diſcas, & fias melior.

CXCV. Studio ſapientiæ nullus in vita terminus ſtatuendus eſt: cum vita eſt finiendum. Semper illa tria ſunt homini, quamdiu vivit, meditanda: quomodo bene ſapiat, quomodo bene dicat, quomodo bene agat.

CXCVI. Ab ſtudiis arrogantia omnis arcenda eſt. Nam ea quæ vel doctiſſimus mortalium novit, non ſunt minutiſſimum eorum, quæ ignorat. exiguum quiddam & obſcurum & incertum eſt, quicquid homines ſciunt, mentesque noſtræ in hoc corporeo

carcere devinctæ, magna ignoratione &c] altissimis tenebris premuntur: aciemque adeo retusam habemus, ut nec summas penetremus rerum facies.

CXCVII. Tum profectui studiorum plurimum nocet arrogantia. multi enim potuissent ad sapientiam pervenire, ni jam putassent se pervenisse.

CXCVIII. Vitanda etiam contentio, æmulatio, obtrectatio, inanis gloriæ cupido: quum in hoc sequamur studia, ut illa fugiamus.

CXCIX. Nihil excogitari potest jucundius cognitione multarum rerum, nihil intelligentia virtutis fructuosius.

CC. Studia res lætas condiunt: tristes leniunt: temerarios impetus juventæ cohibent: senectutis molestam tarditatem levant: domi, foris, in publico, in privato, in solitudine, in frequentia, in ocio, in negocio comitantur, adsunt, imò præsunt, opitulantur, juvant.

CCI. Eruditio, paſtus ingenii veriſſimus: ut indignum ſit paſci corpus, eſuriente animo: ex qua voluptates, & oblectamenta & ſolida & perpetua: quæ alia ex aliis naſcentia, & ſe renovantia, nunquam nos deſerunt, nec laſſant.

CAPUT VII.
DE VIRTUTE.

CCII. PRæſtantiſſima illa rerum univerſarum virtus, neque dono ab hominibus datur, neque accipitur: divinitus contingit.

CCIII. Idcirco à DEO ſuppliciter ac piè petenda eſt.

CAPUT VIII.
DE AFFECTIBUS.

CCIV. SUmmum, in literis omnibus atque eruditione eſt, ea *Philoſophia, quæ ingentibus animi morbis remedium adfert.*

CCV. *(uu)* Magna cura adhibetur curando corpori: major adhibenda est animo, quo hujus morbi & occultiores, & graviores, & periculosiores sunt.

(uu) Vidit oculatissimus Auctor, quid Ethicæ desit, jam ante Baconum de Verulamio. Ita vere de *Vive* nostro in de augenda Ethica, I, II, 71. *Placcius*: Decus illud, inquit, Hispanorum, sempiterna laude victurum, *Jo. Ludovicus Vives*, Libro de *Causis corruptarum artium* sexto, Ethices defectus labesque maxime notabiles perstriuxit. Illum ergo professa opera de hoc argumento agentem eo loco videas. Quid? quod ante hos omnes Cicero eum in sensum querelas fudit. Cur cum constemus, ex animo & corpore, corporis curandi tuendique caussa quæsita sit ars ejus, atque utilitas DEI Immortalis inventioni consecrata: animi autem medicina nec tam desiderata sit ante, quam inventa, nec tam culta, posteaquam cognita est: nec tam multis grata & probata: pluribus etiam SUSPECTA & invisa. Ita sane Cicero,

CCVI. Hi non injuria tempestates, cruciatus, tormenta, flagra, faces, furiæ animi humani nuncupantur: maximam hi adferunt calamitatem, & indicibiles dolores, si regnent, si agitentur: incredendam tranquillitatem & beatitudinem, si sedentur & cohibeantur.

CCVII. Huc tendunt, quæcunque à maximis ingeniis de vita moribusque acutissimè sunt excogitata atque præscripta. (ww)

principio tertii quæstion. Tusculanarum. Quo magis mireris, hanc partem doctrinæ melioris quibusdam suspectam haberi, qui à Christo gestiunt nominari.

(ww) At absquam paucis. Desideravit Verulamius Georgica animi, textu quarto de augenda Ethica. Multos absterruit inglorii laboris opinio. Sed bene mereri cœpit Vincentius Placcius, ostenso proposito edendi Generalem Medicinam Moralem, in quinque partes distributam. Primam constituit Physiologiam Moralem; alteram, Hygieinen; tertiam

CCVIII. Hoc est ingens præmium literati laboris, cujus verissimus fructus est, ut non in admirationem, aut ostentationem vanam sit nobis magna illa rerum supellex collecta: sed ut transeat in usum vitæ, & primùm omnium prosit possidenti: nec *in ejus mente sit tanquam in pixidula*, unde petitur res alios juvatura, ipsi vasculo inutilis.

CCIX. Nec aliud conatur pietas Christiana, quàm ut serenitas humanos animos exhilaret: & tranquillitate animorum, compositisque affectioni-

Nosologiam: quartam Semeioticen, quintam demum Therapeuticam. Cui & subjungendam existimavit specialem, de curandis singulis vitiorũ speciebus. Destinationes proposuit in de augenda ethica, & alibi; sed, quos in eo nævos reprehendi novimus, ab iis facile sibi cavebunt prudentiores, & bonam Optimi Viri voluntatem luculentiori indies cultione doctrinæ, tot augmenta adhuc desiderantis, imitabuntur.

ctionibus ſimus Deo & angelis quàm ſimillimi.

CCX. Remedia his morbis, vel ex rebus ac nobis ipſis, vel ex Deo, vel ex CHRISTI *(xx)* lege ac vita petuntur.

CCXI. Natura rerum eſt, ut incerta & fluxa, & momentanea, & viciſſitudinaria, & vilia ſint omnia, præter animum, *qui eſt unusquisque*, aut certè potiſſima ejus pars. *(yy)* Reliqua ab aliis

(*xx*) Non Moſaicæ oppoſita Legi, ſed quam Servator operoſe inculcavit, & prolixe paſſimque expoſuit, ac novo admirabilique exemplo confirmavit. Jo. XV, 12, 13. Gal. VI, 2.

(*yy*) Ita pulcre phraſin antecedentem exponit. Illa veterum redolet ſtylum; eorumque ſenſu intelligenda eſt. Noſti illud Ciceronis in ſomnio: Non tu is es, quem forma iſta declarat; ſed mens cujusque; is eſt quisque: non ea figura, quæ digito demonſtrari poteſt. Scite Diogenes, cum aliquando: *Heus homines, adeſte*, dixiſſet: & concurſus factus

aliis ad alios transferuntur, ne quis extra animum quicquam possit suum dicere.

CCXII. Quæ habet, non donata esset putet, sed accommodata.

CCXIII. Quocirca ingentis dementiæ est, grave aliquod crimen, & magna luendum pœna, ob res minutas suscipere.

CCXIV. Nec se quisquam efferat, quòd aliquid de externis aut corporeis contigerit: quum id omne breve futurum sit, ac incertum, nec propriũ, (zz) sed alienum. Quod ut concessum est, sic etiam *reposcetur: ad summum in morte:* sæpe in vita ipsa.

CCXV.

esset, baculo abegit omnes: addens: Ἀνθρώπους γὰρ ἐκάλεσα· οὐ καθάρματα. Homines vocavi, non hæc purgamenta.
(zz) Ecquid efficacius dici poterat. Repetentur a moriente omnia. Dies instat. Eum certo futurum, negare nequis. Igitur ut ne stultitiam accusare, ac sero nimis deflere necessum sit, provideto.

CCXV. Nec dolendum, si, quod accommodatum ac velut depositum est, repetatur: quin potius agendæ gratiæ, quòd tantisper uti licuit.

CCXVI. Intolerandæ ingratitudinis est, si sis aliquando affectus beneficio, injuriam te credas accipere, quòd id non sit perpetuum, nec quid habueris spectes, aut quamdiu: sed quid, aut quamdiu non habueris.

CCXVII. Nec lætandum, quòd fortuita tibi accesserunt, aut amicis, adempta sunt inimicis: quum in omnibus tanta sit celeritas & ambiguitas, ut plerumque inani læticiæ proximus sit acerbus fletus. *(a)*

CCXVIII.

(a) Prov. XIV, 13. Habet has vices conditio mortalium, ut adversa ex secundis, ex adversis secunda nascantur. Occultat utrorumque semina Deus, & plerumque bonorum malorumque caussæ sub di-

CCXVIII. Nec despondendus animus, aut contrahendus, reflante fortuna: quippe *adversis matutinis interdum succedunt prospera vespertina.*

CCXIX. Jam quæ conditio corporum, quæ ratio vitæ, fictis ex tam vili initio? tam fragili! quum sit anceps vita, septa tot undique periculis: & ut sit aliquantisper certa, utique non est diu duratura: quid habemus, quur in tanta infirmitate ferociamus?

CCXX. Quumque nihil sit aliud hæc vita, quàm peregrinatio, *(b)* qua

versa specie latent. *Plinius*, Panegyrico n. 46. 47. Manilius:

Tanta est rerum discordia in ævo
Et subtexta bonis mala sunt, lacrimæque sequuntur
Vota, nec in cunctis servat fortuna tenorem.

(*b*) Videt ratio, nihil heic stabile firmumq; esse. Sed multo efficacius sublimior docet disciplina, fassique sunt omnes sancti, se hospites in terris peregrinosque esse. Tendit ergo properatque peregrinus ad

qua in alteram ſempiternam tendimus, pauciſſimisque rebus ad hoc iter conficiendum egeamus:

CCXXI, Quid eſt, quamobrem his quæ huc atque illuc volui & jactari cernimus, ſollicitemur, aut omnino moveamur?

CCXXII. Cupiditati quare ſerviendum eſt, quum ſint futura incertiſſima, & præſentia paucis contenta?

CCXXIII. Liber ille, qui cupit ſolum, quæ ſunt in ipſius manu: ſervus, qui contrà.

CCXXIV. Jam fortunæ muneribus expleri, quid aliud eſt, quàm peditem *multis ſarcinis* impediri, ac obrui?

CCXXV.

Patriam. Cœleſtisque Civitatis, quam DEUS condidit, ardenti deſiderio tenetur; æquo interim ac ſublimi animo ferens viæ moleſtias; & iniqui hoſpitis contumelias ac riſus, imbrium item ventorumque impetus cogitatione Patriæ leniens. add. Geneſ. XLVII, 9. 1. Paral. XXX, 15. Pſal. XXXIX, 13.

CCXXV. Nemo est tam stupidè amens, qui non se illi civitati, ad quam tendit, & ubi morari destinat, potius, quàm itineri adornet, componatque.

CCXXVI. Vita hæc nostra, quum sit natura sua fugax, & arcta: maxima ejus pars, ac ferè tota perturbationibus perit. neque enim vivimus, quamdiu affectibus concutimur, & inprimis mortis metu.

CCXXVII. Quæ quum ex infinitis causis immineat & appropinquet, expavenda non est ex una & altera: quum necessariò perventura, fugienda non est per scelus, aut mœrendum quòd accedat.

CCXXVIII. Quum sit vita innumeris tædiis ac miseriis referta, cur est tam arctè retinenda? Quum ad alteram æternam proficiscamur, ita nos comparemus, ut rectà ad illam evolemus, plenissimam bonorum omnium.

CCXXIX. Ergo premimur ſæpius noſtris erroribus, quàm rebus ipſis: quum magna mala aut bona cenſemus, quæ non ſunt.

CCXXX. Natura & conditio, & vera rerum precia illa ſunt, quæ initio poſui. quo apparet, nihil præter virtutem pulchrum aut magnum eſſe, aut etiam noſtrum.

CCXXXI. Nos verò in conſilium mentis amorem corporis,& cupidinem rerum vitæ hujus accerſimus, quæ à multis vocari ſolent Amor noſtri. *(c)*

CCXXXII.Hic animos viriles enervat, ut nulla res tam minuta ſit, quæ in eos non penetret: nec ulla tam exilis, aut tenuis, quin eos concutiat.

CCXXVIII.

(c) Non *ordinatus*, qui corpus utique nutrire ac tueri; animi dotes excolere: peccata vitare, ac unionem cum DEO quærere, & quotidiana virtutum incrementa capere jubet. Sed inordinatus; *Cor* perditionis humanæ; qui plus ſe, quam Deum amat, ac in ea fertur, quæ nullius ſunt pretii.

CCXXXIII. Hinc tenebræ oboriuntur oculo mentis, & ubi regnum affectus occupavere, jam illis tanquam dominis blandimur, indulgemus, paremus.

CCXXXIV. Ita aliena mordicus tanquam nostra apprehendimus: & si detrahantur, lamentamur, & afflictamus nosipsos.

CCXXXV. Et nostra tanquam aliena negligimus, & aversamur profutura, ceu in primis noxia: & nocitura amplectimur pro utilibus.

CCXXXVI. Aliena mala nobis videntur levissima: nostra, illis non majora, intolerabilia: & semper queruli, nec aliena desideria ferimus, nec nostra.

CCXXXVII. Nec jam nobis placemus ipsi, nec hic mundus cum sua lege nobis satisfacit. Immutatas vellemus rerum naturas: tanta est ex deliciis impatientia.

CCXXXVIII. Quæ cruces possunt cum his comparari? nec sunt alia apud vita functos tormenta.

CCXXXIX. Nec dæmones aliis suppliciis sunt miserrimi, quàm superbia, invidia, odio, ira.

CCXL. Cernere est vultus eorum, qui his affectibus tenentur, quàm varii sunt, quàm anheli, truces, horridi: ad eundem modum & animi sunt affecti.

CCXLI. Ira perturbationum omniũ atrocissima, maximè hominem dedecet.

CCXLII. Naturam hominis in truculentam mutat feram.

CCXLIII. Et quum quævis perturbatio mentis aciem & judicium omne obscuret: tum ira tenebras densissimas offundit, ut nec *verum*, nec *utile*, nec *decorum* possit cernere.

CCLIV. Arrodit cor, & valetudinem affligit.

CCXLV. Id cogit facere, quod illico pœnitentia consequatur.

CCXLVI. Jam in facie quàm turpis mutatio? quæ tempestas? oculorum ardor? dentium stridor? despumatio? & totius oris pallor? fœda in lingua titubatio & clamor?

CCXLVII. Ut ille, qui iratum se ad speculum vidit, non sine causa dicatur se non agnovisse.

CCXLVIII. Ob hanc toruitatem vultus, atrocitatem dictorum, crudelitatem factorum, adimitur viro omnis autoritas, omnis benevolentia, diffugiunt amici, recedunt obvii, solitudo undique: omnes oderunt, omnes detestantur.

CCXLIX. Quo fit, ut maximi viri nihil vel caverint magis, vel texerint, quàm iram, & irati opera: adeò ut naturæ etiam suæ repugnarint, ac vim attulerint.

CCL. Quid enim ridiculum magis, quàm tantulum, tam imbecillum animalculum, sic ferocire, ac furere?

CCLI. Et tantas tragœdias, tam atroces, de vilissimis rebus excitare, ut de corporeis, de fortunis: etiam, si diis placet, de uno verbulo?

CCLII. Iram facile domabis, si illud animo perceptum & fixum tenueris:

CCLIII. Injuriam non fieri, nisi lædatur animus: cui à nemine noceri potest, nisi à possidente, introducto in eo vitio.

CCLIV. Hæc ad hominem, ex homine: nunc altius, nempe ex Deo, etiam si & illa quoque ex Deo, sed hæc aliquanto expressius, ac propius. *(d)*

(*d*) Mendose *Basiliensis, priori*, ac *Hamburg.* proprius.

Caput VIII.

DE RELIGIONE.

CCLV. Nihil potuit hominum generi dari majus aut præstabilius, quàm religio: quæ est cognitio & amor principis & parentis universitatis mundi hujus.

CCLVI. In nullos homines æquè est beneficus Deus, ac in illos, quos docet, qui sit verus sui cultus.

CCLVII. Idcirco Psalmista * inter maxima Dei in populum Israeliticum munera, illud ponit: Qui annunciat verbum suum Jacob, jùstitias & judicia sua Israeli.

* Psalm. CXLVII, 19,

CCLVIII. Non fecit taliter omni nationi, & judicia sua non manifestavit eis.

CCLIX. Per religionem Deus cognoscitur: cognitus, fieri nequit aliter, quin ametur.

CCLX. Unus Deus est princeps, & autor, & Dominus universorum, qui potest, qui scit omnia.

CCLXI. Mundus hic, est velut domus quædam ejus, vel potius templum: ipse ex nihilo in hanc faciem atque ornatum protulit. Unde nomen accepit, apud Græcos, ornati.

CCLXII. Idem regit atque administrat non minore conservationis miraculo, quàm creationis.

CCLXIII. Et quemadmodum in domo prudentissimi patrisfamiliâs nihil injussu ejus agitur: sic in omni mundo nihil injussu Dei geritur, omnia potentis & scientis.

CCLXIV. Illi angelos, dæmones, homines, animantia, stirpes, lapides, cœlos & elementa, cuncta denique curæ esse, ac parere.

CCLXV. Nihil fieri, nihil moveri, nihil contingere, ac ne stipulam quidem attolli ullam, aut floccum volitare, extra illius præscripta & jussa.

CCLXVI. Hanc esse universi legem: non alium esse in rebus casum, non fortunam, aut sortem.

CCLXVII. Omnia ab eo fieri cum summa æquitate, & sapientia, tametsi *viis nobis ignoratis*. (e)

CCLXVIII. Quæcunque cuivis contingunt, ad ejus referri commoda, si sit bonus: (f) non ad ista pecuniolæ, aut mundi hujus momentanei, sed illius æternæ salutis.

CCLXIX. Ergo quæcunque in hoc mundo accidunt, tanquam ab autore Deo

(e) Arnobius, adversus gentes secundo. Neque promptum cuiquam est, DEI videre mentem; aut quibus modis ordinarit res suas, homo, animal cæcum, ET IPSE SE NESCIENS, ullis potest rationibus consequi. Quid oporteat fieri, quando, vel quo genere? ipse cunctarum rerum Pater, moderator & Dominus scit „solus. DEUM nunc *a tergo* videmus, „visuri aliquando de facie ad faciem.

(f) Ro. VIII, 28.

Deo *(g)* profecta, æquis animis accipienda atque approbanda sunt, ne affectu nostro, & tanquam judicio consilium damnare videamur, & improbare voluntatem justissimi illius & sapientissimi rectoris omnium, Dei, quia non assequimur.

CCLXX. Ei nos obsequi *(h)* ac subditos præbere, laudare atque approbare cuncta, quæ facit, fas piumque est.

CCLXXI. Nos pueri, & meliorum rerum inscii, quæ damnosissima sunt, deflemus non dari: quæ utilissima, horremus tanquam adversissima.

CCLXXII. Ut nihil sit nobis sæpenumero pestilentius, quàm fieri votorum nostrorum compotes.

(*g*) Sic legere sensus jubet. Minus commode Basiliensis prior: *perfecta*

(*h*) Inter principes Pythagoræ sententias merito fuit: ἕπυ Θεῷ, optime quippe providenti. Pulcre quoque illi Abrahamitico: *Dominus Providebit:* addidit vir pius: *Qui credit, videbit.*

CCLXXIII. Quumque in tantis tenebris ignorationis versemur: sic Deo visum est, ut nobis sola sit præstanda culpa, (i) cætera omnia illius curæ remittantur.

CCLXXIV. Nobis, velimus nolimus, exequendum est, quod de nobis statuit ac jubet rector hujus tanti operis: quorsum igitur spectat, malle cum lachrymis detrectantes & reluctantes trahi, quàm hilariter & ultrò duci?

CCLXXV. Certè amicus omnis Dei legibus, & voluntati amici obtemperabit.

CCLXXVI. Hæc potissima ratio est Dei amandi, sicut CHRISTUS inquit: * Vos amici mei eritis, si feceritis quæ ego præcipio vobis.

* Jo. XV, 14.

CCLXXVII.

(i) Cicero Epist. Lib. IX. ep. I. Video, ait, Philosophis pacuisse, nihil esse sapientis præstare, nisi culpam. & VI, 1. Simus ea mente, ut nihil in vita a nobis præ-

CCLXXVII. Pacificator humani generis cum Deo, & autor salutis nostræ est JESUS CHRISTUS, homo Deus, Dei omnipotentis filius unigenitus, quem ad hoc ipsum pater misit, quum ei visum est misereri generis humani, quod maximo suo malo inimicum se fecerat Deo.

CCLXXVIII. Nullum excogitari potest malum pestilentius, aut exitiabilius, quàm *per peccatum à Deo separari*, perenni bonorum omnium fonte, ad perniciosissimam converti miseriam, & à dulcissima vita in acerbissimam mortem.

CCLXXIX. In hoc, inter cætera, CHRISTUS venit, ut rectissimam viam nos edoceret, qua insisteremus proficiscentes ad Deum, nec ab ea vel pilum deflecteremus.

standum putemus, præter culpam. Quæ, quid innuant, neminem, puto, lateat gnarum latinitatis.

CCLXXX. Hanc ipse & verbis indicavit, ac patefecit, & exemplo vitæ suæ munivit expeditissimam atque certissimam.

CXLXXXI. Humana omnis sapientia, si cum religione Christiana conferatur, cœnum est, & mera stultitia.

CCLXXXII. Quicquid grave, prudens, sapiens, purum, sanctum, religiosum, quicquid cum admiratione, exclamatione, plausu apud gentiles sapientes legitur: quicquid ex illis commendatur, ediscitur, in cœlum tollitur: id totum purius, rectius, apertius, expeditius invenitur in pietate nostra. (k)

CCLXXXIII. Hanc nosse, perfecta est sapientia: juxta hanc vivere, perfecta virtus; sed nemo verè novit, qui non sic vivat.

CCLXXXIV. Vita Christi testatur humanam ejus *probitatem*: miracula, *omni-*

(k) Confer tamen, quæ suasit superius, §. CXXXVI. sqq.

omnipotentiam divinitatis: lex, cœleſtem *ſapientiam.*

CCLXXXV. Ut ex *probitate* accedat exemplum ad imitandum: ex *autoritate* vis ad obediendum: ex *ſapientia* fides ad credendum.

CCLXXXVI. *Probitas* amorem eliciat, *majeſtas* cultum, *ſapientia* fidem.

CCLXXXVII. Si quis, quæ CHRISTUS præcipit, expendat, comperiet omnia ad noſtras utilitates referri: ut nemo niſi maximo ſuo bono ſentiat ſe credere.

CCLXXXVIII. Ut nihil eſt homini gratius, quàm fidi ſibi, ita nec Deo. nec quisquam bene de illo cogitat, cui timidè ſeipſum credit.

CCLXXXIX. Fundamentum ſalutis eſt, credere Deum eſſe patrem, & hujus Filium unicum JESUM CHRISTUM, *(l)* legislatorem noſtrum:

(*l*) Non novum, in ultima temporum periodo: ſed eundem, qui Legem cordibus indidit, eandemque ſolenni promulgatione repetiit.

& ex utroque spirari sanctum illum afflatum, sine quo nihil agimus, nihil cogitamus excelsum, aut profuturum nobis.

CCXC. Verus Dei cultus est, animum morbis & pravis affectibus perpurgare, & in illius quàm proximè possumus transformari simulachrum, ut puri & sancti simus, sicut & ipse est: neminem oderimus, omnibus prodesse studeamus.

CCXCI. Quo magis te à corporalibus ad incorporea transtuleris, hoc vitam diviniorem vives.

CCXCII. Ita fiet, ut Deus cognatam & similem sibi naturam agnoscat, eaque delectetur: ac velut in vero & germano templo habitet, multo sibi acceptiore, quàm ista sunt lapidum & metallorum.

CCXCIII. Templum Dei sanctum est, inquit Paulus, quod estis vos. *

* 1. Co, III, 16.

CCXIV. Tantus hospes conservandus est, nec tetro peccatorum fœtore expellendus.

CCXCV. Corporalia opera fatua sunt ante Deum, nisi conditura ex animo addatur.

CCXCVI. In occultissimis recessibus, & procul ab omnium oculis, atque adeò in corde ipso, atque in animo tuo scito te habere Deum arbitrum, testem, judicem omnium, etiam cogitationum tuarum: ut illius præsentiam reveritus, nihil non modò facias, sed nec in animum admittas nefarium, aut turpe.

CCXCVII. Charitas erga Deum hæc esse debet, ut illum cæteris rebus universis anteponas, honoremque & gloriam illius chariorem habeas cunctis vitæ hujus honoribus & commodis.

CCXCVIII. Et quemadmodum amicus, quum amici memoria occurrit, benevola quadam afficitur & pia lætitia: sic curare te decet, ut divina omnia

amicissima tibi sint, & proinde gratissima, verserisque in illis multo libentissime.

CCXCIX. Quoties nominari audis Deum, majus quiddam & admirabilius occurat, quàm quod possit humana mens capere.

CCC. Quæ de illo rebusque divinis dicuntur, audi, non quomodo humana, sed cum magna animi admiratione.

CCCI. De Deo ne quid temerè censeas, aut de illius factis pronuncies aliter, quàm venerabundus & timidè.

CCCII. Impium, in res sacras jocari, aut dicta sanctarum scripturarum ad lusus, ineptias, aniles fabulas, scommata convertere. ceu quis medicina ad salutem parata cœnum aspergat. ad obscœnitatem autem trahere, (*m*) id verò nefarium, & intolerabile.

CCCIII.

(*m*) Ita malui legere cum *Basiliensi secundo*: quam cum primo: *ideo vero*.

CCCIII. Omnia decet illic esse admiranda, & cum ingenti dignatione in animos recipienda.

CCCIV. Sacris intersis attentè ac piè: non ignarus, quæcunque ibi seu vides seu audis, esse purissima & sacrosancta, spectareque ad immensam illam Dei majestatem: quam adorare facile est, comprehendere impossibile.

CCCV. Ita ut in divina illa sapientia altiora semper existimes latere, quàm quò possit vis ulla humani ingenii pertingere.

CCCVI. Dicta sapientum hominum, etiam non intellecta, veneramur: quanto id æquius est, divinis deferri?

CCCVII. Quoties nominari audis JESUM CHRISTUM, toties veniat tibi in mentem charitas illius in nos inæstimabilis, & recordatio illius sit tibi dulcedinis & venerationis plena.

CCCVIIII. Quum titulum aliquem, aut epitheton CHRISTI audis, extolle te in ejus contemplationem: &

 ora,

ora, ut talem se præbeat erga te; velut cum clementem, mitem, placidum, ut talem illum experiare: quum omnipotentem, ut id ostendat in te, ex pessimo reddens optimum, ex hoste filium, ex nihilo aliquid: quum terribilem, ut eos à quibus terrêre, terreat.

CCCIX. Quum Dominum vocas, fac illi servias: quum patrem, fac ames, & te dignum præstes tanto patre filium.

CCCX. Nulla res est in toto universo, cujus, si vel originem, vel naturam, viresque intuearis, non suppeditet, quo autorem omnium Deum admireris, & adores.

CCCXI. *(n)* Nihil exordire, non invocato prius numine. Deus enim, in cujus manu sunt progressus & exitus, optatos eos tribuit iis actibus, quos ab ipso auspicamur.

CCCXII.

(n) Laudatur in hanc rem *Hippocrates*, qui, initio artis suæ: Non solum, inquit, ægrotus præstare se debet opportu-

CCCXII. Quicquid aggressurus es, finem spectato: & ubi tu rectum consilium præstiteris, de eventu ne sis sollicitus.

CCCXIII. Illi fide, in cujus potestate sunt rerum eventus.

CCCXIV. Quandoquidem religio omnis sita est in intimis pectoris, preces da operam ut intelligas: & cave ne ore tantum permurmures: sed quum oras, totus & animo & mente & cogitatione & vultu in hoc sis, ut omnia secum consentiant, & *excellentissima* respondeant *actioni*. (o)

CCCXV. Execrantur illum cœlestia oracula, qui opus Dei facit negligenter.

* Jer. XLVIII, 10.

CCCXVI.

na facientem: sed & Medicus adhibere curationem, & deprecari DEUM, ut dirigat opera sua. Confer Prov. XXII, 19, 20.

(o) Preces, excellentissima hominis actio. Sed non aliæ, nisi quales heic delineavit.

CCCXVI. Si in citharœdo turpe eſt, aliud ipſum ore, aliud fides ejus ſonare: multo eſt turpius, quum Deo pſallimus, aliud linguam dicere, aliud animum cogitare.

CCCXVII. Vota noſtra ſobria ſint, & digna quæ à Deo petantur, quæ Deus det: ne ſtulta illum, aut inepta offendant.

CCCXVIII. Sumpturus cibum, recordare omnipotentiæ Dei, qui cuncta ex nihilo condidit: ſapientiæ ac benignitatis, qui ea ſuſtinet: manſuetudinis & clementiæ, qui etiam inimicos ſuos paſcit.

CCCXIX. Expende quantum illud ſit, tot vitis univerſitatis mundi hujus, tam variam quotidie alimoniam ſufficere, conſervare omnia, & vindicare ab interitu, quo nutu ſuo tendunt.

CCCXX. Nullam neque hominum, neque angelorum ſapientiam non modò hoc non poſſe præſtare, ſed nec intelligere.

CCCXXI. Itaque quum ſcias te de illius bonis vivere, cogita quàm execrandæ ſit ingratitudinis, quàm perditæ temeritatis, audere te cum illo inimicitias exercere, cujus beneficio & voluntate conſiſtis: non amplius, ſi nolit, futurus.

CCCXXII. Ad menſam ſint omnia pura, cordata, ſancta: qualis ille eſt, inter cujus munera tunc verſaris: *

* I. Co. X, 31.

CCCXXIII. Omnis detractio, virulentia, atrocitas, crudelitas à menſa arceatur, in qua tu ſentis incredibilem Dei erga te ſuavitatem & clementiam.

CCCXXIV. Quo intolerabilius eſt, eum te locum aſperitate aut odio in fratrem contaminare, ubi tu benignam & largam in te lenitatem percipis.

CCCXXV. Quod nec gentiles ignorarunt, qui eam ob cauſam menſæ ſacra nominabant læta & feſta: ad quam triſte aliquid aut atrox dici, fierive, nefas erat.

CCCXXVI. Quumque ſis omnipotenti, ſapientiſſimo, largiſſimo Deo curæ: tu immodicam ſuſtentandi tui curam depone, tanquam bonitati illius diffiſus. Unicam curam ſuſcipe, quomodo illi placeas, ac ſatisfacias.

CCCXXVII. Stultiſſimum eſt, alimenti cauſa pravum ullum facinus admittere: & illum offendere, à quo ſolo alimenta veniunt. Ut eum tibi iratum facias, à quo aliquid contendis impetrare.

CCCXXVIII. Præſertim quum non alimentis conſervetur vita, ſed voluntate Dei: quemadmodum divinis oraculis declaratum eſt, non pane hominem vivere, ſed verbo Dei. *

* Matth. IV, 4.

CCCXXIX. Habemus ſyngrapham JESU, univerſorum in cœlo & in terra Domini: nihil eorum, quæ opus ſunt homini, defuturum iis, qui quæſierint regnum Dei, & juſtitiam ejus. *

* VI, 33.

CCCXXX.

CCCXXX. Tum ex Dei donis, quæ ipſe arbitrio ſuo & largitur, & tollit, quum is in te tam benignus fuerit, tu in fratrem tuum, illius filium, malignus ne eſto, reputans vos ex æquo eſſe Dei filios: nec Deum plus tibi debere, quàm illi: tantum voluiſſe *diſpenſatorem & adminiſtratorem eſſe*, & à quo ſecundum Deum frater tuus peteret.

CCCXXXI. Nihil verius datur Chriſto, quàm quod egenis datur.

CCCXXXII. Sumpto cibo, conſidera cujus ſit ſapientiæ, cujus potentiæ, vitam noſtram iis rebus quas ediſti ſuſtentare, & ruentem fulcire.

CCCXXXIII. Itaque habeas Deo gratiam, non quantam haberes illi, qui tibi pecunia ſua cibarium emiſſet: ſed quanta habenda eſt ei, qui te & cibum ipſum condidit, & cibum propter te, & cibo te ſuſtentat, non vi illius, ſed ſua.

CCCXXXIV. Quum petis quietem, & quum ſurgis, reminiſcere beneficio-

rum

rum Dei, non in te solum, sed in totum genus hominum, atque adeò mundum universum.

CCCXXXV. Cogita quantæ sint hostis hominum per licentiam quietis insidiæ, dum homo velut cadaver jacet, impos sui: quo instantius orandus est CHRISTUS, ut nos tam imbecillos tueatur.

CCCXXXVI. Nec ullo nostro peccato irritandus est custos & præses noster.

CCCXXXVII. Et frons & pectus crucis *(p)* nota exterius muniendum: interius verò piis precibus, & sanctis meditationibus.

CCCXXXVIII.

(p) *Tertulliani* jam tempore, ut ex eo demonstravit *Chemnitius*, & postea, Christiani transversam figuram quasi crucis in aere formabant, itaque se signabant. Non certe ad cultum aut adorationem: sed ut ista velut visibilis professio commonefactioque esset, se credere in Christum crucifixum, omnemque in eo fiduciam ac Spem collocare. Absit superstitio.

CCCXXXVIII. Ubi jam lectum ingrederis, fac cogites, unumquemque diem imaginem esse humanæ vitæ: cui succedit nox & somnus, simulacrum mortis expressissimum.

CCCXXXIX. Itaque rogandus est CHRISTUS, ut in vita & morte adsit semper propitius ac favens, illamque ipsam noctem præbeat nobis placidam atque tranquillam.

CCCXL. Ne ve insomniis terreamur: semperque etiam sopitis, ille menti nostræ obverseturi: illius solatiis recreati, ad matutinum tempus sospites & læti perveniamus, cum pia memoria sanctissimæ mortis, precii quo genus humanum redemptum est.

CCCXLI. Cubile servabis castum mundumque: ne jus ullum in id inveniat autor ille & caput totius spurcitiei.

CCCXLII. Signo crucis, & *(q)* ſacra aqua, & invocatione divini numinis, ſed in primis ſanctis cogitationibus, & ſtatuto cuſtodiendæ pietatis, omnem ab eo diaboli ditionem pelles.

CCCXLIII. De mane ſurgens commenda te CHRISTO: cui & age gratias, quòd illius ope ac præſidio non es illa ipſa nocte oppreſſus dolis & invidia immanis hoſtis.

CCCXLIV. Et quemadmodum de nocte dormiſti, poſtea evigilaſti: ſic noſtra corpora recordare dormitura per mortem, hinc reddenda vitæ à CHRISTO, quum apparebit judex vivorum & mortuorum.

CCCXLV.

(*q*) Quid ſacra aqua? Quis aquam pro amuleto inſtituit? Solus Baptiſmus eſt luſtricus ille fons, & lavacrum in verbo, quo purgamur a peccatis. Fruſtra ad luſtralis aquæ ab Alexandro I. factam inſtitutionem provocatur; quoniam ante Gregogorium M. nulla ejus oſtendi poteſt mentio. Sed vidit ipſe Vives, nullam ejus

CCCXLV. Quem ſupplex obteſtare, ut ſequentem diem velit ac faciat te in obſequio ſuo totum conſumere; ne quem lædas, neu à quo lædatur tua probitas: ſed ſeptus undique ac munitus pietate Chriſtiana, ſoſpes & integer tot evadas retia, tot pedicas, quot per vias omnes & aditus humanos ſparſit tetenditque inſidioſus diabolus.

CCCXLVI. *(r)* Defunctorum in Domino Confeſſorum Chriſti ac Sanctorum, tanquam charorum ejus amicorum

rei vim eſſe: eoque ad invocationem divini nominis piasque cogitationes lectorem hortatur. Vide, ſi placet, *Höpfnerum* Saxonia Evangel. Sect. III. P. II. c. 3. n. 2.

(r) Durius ſonant, quæ Vives propoſuit; etſi benigna facile interpretatione mollienda. Neque profecto contra mentem id fecerimus auctoris; qui alio jam loco, ad aureos puta Auguſtini de Civ. DEI libros, VIII, ult. conqueſtus eſt, cultum inter ſuos jam non humanum, ſed religioſum tribui ſanctis, ac divinum.

corum recordare: Deo pro illis age gratias, & exempla illorum imitare.

CCCXLVII. De illorum præcipue vita & actis crebrò vel legito vel audito attentissimus & libentissimè, pio & venerabundo animo, ut tibi ad imitationem prosint.

CCCXLVIII. De illis sic senti, sic loquere, tanquam non jam hominibus, sed supergressis naturam omnem & fastigium humanum, divinitati proximis & conjunctis.

CCCXLIX. Inter homines verò quum tanta sit cognatio similitudinis in corpore, & toto animo: simusque omnes pari jure in mundum invecti ad *societatem* & vitæ communionem facti: ad hanc conservandam lex est à natura proclamata, ne quis alteri fecerit, quod sibi factum nolit.

CCCL. Hoc* unum instaurator ille naturæ collapsæ sisum esse dogma professus est, sed explicatum & illustratum.

* Matth. VII, 12.

CCCLI.

CCCLI. Nam ut humanam naturam ad ſimilitudinem Dei, quoad ejus fieri poteſt, ſublatam ſuis omnibus numeris conſummaret, non modò mutuum amorem imperavit, ſed eorum quoque qui nos oderunt.

CCCLII. Ut ſimus cœleſtis patris ſimiles, qui ſuos quoque inimicos amat: quod declarat, beneficiis illos perſequendo, & quidem maximis: neminem odit.

CCCLIII. Quid? quod hominum ingenium ita fert, ut benevolos in ſe illos velint, etiam in quos ipſi ſunt malevoli. *(ſ)*

CAPUT IX.

DE CHARITATE.

CCCLIV. SApientiſſimus vitæ noſtræ magiſter, nempe & autor,

(ſ) Graviſſimum pro Vita ſociali argumentum, ad quam impetus atque vis naturalis vel nolentem trahit ac impellit.

autor, unicum dedit ad vivendum documentum, ut amemus: gnarus, vitam nostram, si amemus, fore felicissimam, nec aliis opus esse legibus. (*t*)

CCCLV. Nihil felicius quàm amare. idcirco Deus & angeli felicissimi, qui amant omnia.

CCCLVI. Infelicius nihil quàm odisse, quo affectu miserrimi sunt diaboli.

CCCLVII. Verus amor omnia exæquat: ubi is viget, nemo alteri quærit præferri, nemo à dilecto rapere: quum apud se esse censeat, quæ apud illum.

CCCLVIII.

(*t*) Nempe hæc universalis est propositio, cæteras omnes sub se complexa; Dilige proximum. Lex Regia: Jac. II. 8. & quod pluribus enunciatum præceptis est, ἐν τούτῳ τῷ Λόγῳ ἀνακεφαλαιοῦται, summatim in hoc uno comprehenditur, Ro. XIII, 9. Quis vitio vertet Philosophis, id principium, alio licet vocabulo, inculcantibus?

CCCLVIII. Non litem movere fratri charo, ac neque ſe unquam injuria putat ab illo affici: ideo nec ultionem meditatur. Nemo invidet ei quem amat: nec quisquam malis amici gaudet, nec bonis indolet. Contrà potius gaudet cum gaudentibus * (juxta dictum Apoſtoli) flet cum flentibus: idq; non fictè aut ſimulatè, ſed ex animo. Quoniam amor omnia reddit communia: ſuaque eſſe exiſtimat, quæ ſunt ejus quem amat. *

* Ro. XII, 15.

CCCLIX. Documenti hujus ſolidum & veriſſimum exemplar, oculis noſtris ad imitationem propoſitum, ſunt Chriſti actiones.

CCCLX. Venit enim Dei filius, non ut verbis modò, ſed exemplo vitæ ſuæ rectam nos doceret vivendi rationem: ut illuſtratis ſole illo ſuo animis noſtris, apertè, qualis quæque res eſſet, cerneremus.

CCCLXI. Primùm exercitus per omne genus patientiæ, quantam oſtendit animi moderationem, in quanta potentia? imperitus tot tam gravibus contumeliis, nemini maledixit: tantum docuit viam Dei, adverſam deteſtatus. Vinciri ſe eſt paſſus, qui mundum evertere vel unico poterat nutu.

CCCLXII. Calumniam quàm patienter tulit?

CCCLXIII. Denique ſic geſſit ſeſe, ut nemo in eo potentiam noverit, niſi ad juvandum.

CCCLXIV. Rex & Dominus univerſorum, per quem fecit pater hunc mundum, quàm æquè tulit æquari ſe infimis mortalium? & propriam ſibi domum, & charis ſuis miniſtris deeſſe alimenta?

CCCLXV. Conditor rectorque naturæ, malorum naturæ noſtræ expers non fuit: eſuriit, ſitiit, delaſſatus fuit,

fuit, & mœstus: quorsum hæc? *(u)* Certe (ut ad expiationem delictorum sic &) ad exemplum nostrum.

CCCLXVI. Tam amicus pacis, concordiæ, charitatis, ut nullum vitium magis sit insectatus quàm superbiam: & quæ illinc oriuntur, arrogantiam, ambitionem, contentionem, dissidia, simultates.

CCCLXVII. Ostendens, nihil esse quur quis vel ab externis sibi quicquam arroget, vel a corporeis; quum sint adventitia & aliena.

CCCLXVIII. Nec ab internis, & virtute, quum à Deo dentur. Et ob hoc ipsum tolluntur, quod quis ejusmodi muneribus sese efferat, nec fontem atq; originem agnoscat: despiciens eos, ad quorum utilitatem hæc à Deo accepit.

CCCLXIX. Et ad superbiam infringendam, ne quis tanquam ritè subditus religioni, & scrutator legis sibi placeat, audivimus ab eo: Quum omnia,

(*u*) Quæ parenthesi inclusimus, cœlestem veritatem, plenius, ceu par est, proponunt.

quæ vobis præcepi feceritis, dicite, servi inutiles sumus. (w)

CCCLXX. Quanta stultitia est eorum, qui se exactè Christianos gloriantur? & aliis in observanda lege sese anteponunt?

CCCLXXI. Quum nemo de se norit, an virtutem habeat, *(x)* an ille, cui sese præfert, virtute sit locupletior: an ascitus & destinatus in consortium cœle-

(w) Luc. LXVII. 10. En testem veritatis.

(x) Addit etiam Exemplar Basiliense utrumque: *Utrum odio Dei an gratia dignus sit.* Quæ quidem e vulgata Coh. IX, 1. repetita, textui avthentico non respondent. Ejus enim hic tenor est: Et amorem & odium non novit homo; omnia ad facies eorum; *supple*, hominum. Sensum ex Romanensibus expressit Jo. Ferus: Non potes judicare ex facie hominis, an electus sit, nec ne? sive prosperitatem respicias, sive adversitatem in oculos incurrentem. Theologastros etiam eos adpellat Jo. Mercerus, Parisiensis Professor, qui eum Salomoni sensum tribuunt,

cœlestium, quum sit ipse miseriis sempiternis assignatus.

CCCLXXII. Idcirco judicium omne de homine homini ademit, cæco & ignaro recessuum cordis: ad se transtulit, scrutatorem pectoris humani.

CCCLXXIII. Exteriora enim, quæ sola oculus hominis intuetur, infirma & incerta sunt interiorum signa.

CCCLXXIV. (y) Non ergo uno congressu, quod nonnulli faciunt temerarii, non centum, non longissimo convictu, de ingenio, vitiis, aut virtuti-

velut dubitandum homini Christiano esse statuerit, de amore DEI erga credentem. Quod nobilissimo fidei nostræ capiti de remissione peccatorum repugnet.

(y) Judicium Auctoris de characteristice, ac arte cognoscendi aliorum animos. Legi meretur Scipio Claramontius, de conjectandis cujusque moribus & latitantibus animi affectibus; ac liber inprimis decimus, quo signa tradidit affectuum.

rutibus cujusquam ſententiam in totum feras.

CCCLXXV. Longiſſimæ & obſcuriſſimæ ſunt in humano corde latebræ: quæ humana acies in tantam caliginem penetrabit?

CCCLXXVI. Et cum CHRISTUS univerſum genus hominum morte ſua ſibi aſſeruerit, tantoque precio de ſervitute diaboli redemerit, nemo auſit contemnere, nemo ludere animam, quam ita Dominus amavit, ut nihil cunctatus ſit vitam ſuam pró illa effundere.

CCCLXXVII. Pro *univerſis* crucifixus eſt Dominus, & pro *ſingulis*.

CCCLXXVIII. Nec ſperes fore CHRISTO rem gratam, ſi tu oderis, quem ille amat.

CCCLXXIX. Hanc vult ſibi referri gratiam, ut quemadmodum ipſe Dominus nos ſervos nequam & peſſimè meritos amavit, ita & nos conſervos noſtros.

CCCLXXX. Hic inchoavit mutuam hominum inter se & cum Deo charitatem: hoc est, humanæ beatitudinis jecit fundamenta, in cœlo absolvit.

CCCLXXXI. Hæc est vita & gratia CHRISTI, sapientia humanum ingenium excedens: æquitate intelligentibus congruens, bonitate cunctos alliciens.

CCCLXXXII. Nemo se Christianum esse putet, nemo se Deo esse charum confidat, si quem odit: quum CHRISTUS nobis homines omnes commendarit.

CCCLXXXIII. Hominem tibi * à DEO commendatum, si dignus est, ama, quia dignus est quem ames: sin indignus, ama, quia Deus dignus, cui pareas.

* Insignis locus est Sir. XVII, 12.

CCCLXXXIV. Non jejunia, (z) non

(z) Adeo actiones resque nostræ ex proposito magis, quam ex facto æstimantur. Conf. Luc. XXI, 3.

non erogatæ opes omnes in pauperum usum, hominem Deo gratiosum reddunt: sola hoc præstat hominum charitas, hoc nos Apostolus ejus docuit.*

* I. Co. XIII. 3.

CCCLXXXV. Nullum videbis hominem, quem non existimes debere tibi esse fratris germani loco, ut ejus rebus prosperis gaudeas, adversis doleas, juvesque quantum erit opis tuæ.

CCCLXXXVI. Non natio affectum hunc minuat, non civitas, non cognatio, non professio, non conditio, non ingenium. Unus est omnium pater Deus: quem tu edoctus à CHRISTO, quotidie patrem compellas: qui te filium agnoscet, si tu ejus filios fratres non agnoveris.

CCCLXXVII. Ne sit tibi turpe fratrem illum habere, quem Deus non dedignatur filium.

CCCLXXXVIII. Pacem & concordiam & amorem invexit Deus.

CCCLXXXIX.

CCCLXXXIX. Partes, & factiones, & privatas utilitates cum alienis damnis, ſicut etiam diſſidia, rixas, contentiones, bella, diabolus, peritiſſimus horum artifex.

CCCXC. Deus, quia vult nos ſalvos, ſpargit benevolentiam: diabolus, quia perditos, inimicitias.

CCCXCI. Concordia etiam puſilla coaleſcunt: diſcordia, maxima diſſipantur.

CCCXCII. Qui pacem, qui concordiam ſtudent inter homines vel conciliare, vel conſervare ſartam tectam, ii filii Dei vocabuntur, teſte CHRISTO: hi verè ſunt pacifici: de quibus ipſe loquitur. Qui verò diſcordias ſerere, charitatem hominum inter ſe reſcindere, ii filii diaboli.

CCCXCIII. Summum inimicitiarum, quo belluarum feritatem omnium homo ſuperat *(a)* bellum, ſcito rem

 eſſe

(a) Quo ſenſu Pax eſt ſtatus homini, quatenus a Brutis diſtinguitur, peculiaris.

eſſe non hominum, ſed quod verbum ipſum loquitur, belluarum.

CCCXCIV. Quam deteſtatur natura, quæ hominem inermem genuit, ad manſuetudinem & communicationem vitæ: averſatur Deus, qui penitus vult & imperat mutuam inter homines omnes charitatem.

CCCXCV. Nec quisquam homo homini vel bellum facere, vel nocere poteſt ſine ſcelere.

CCCXCVI. Si quem arbitreris iniquo aut infenſo eſſe in te animo, nullum laborem aut operam refugias, dum illum quacunque ratione lenias, & places tibi.

CCCXCVII.

Præclare Cicero: Duo, inquit, ſunt genera decertandi: unum per diſceptationem, alterum per vim; cumque illud proprium ſit hominis: hoc beluarum: confugiendum eſt ad poſterius, ſi uti non licet ſuperiore. Quare ſuſcipienda quidem bella ſunt eam ob cauſſam, ut ſine injuria in pace vivatur. Offic. I, 11. init. Conf. ſupra §. LVII.

CCCXCVII. Neque in ea re vel precibus, vel obſequio, vel fortunis parcas, modò tibi gratiam omnium pares, celerem viam ad gratiam Dei.

CCCXCVIII. Neminem irriſeris, cogitans quod uni alicui accidit, poſſe cuivis accidere. Age potius Deo gratias, quòd te extra eam ſortem poſuerit: & ora, tum tibi ne quid tale accidat, tum illi ſic afflicto ſaltem remedium aliquod, vel æquum animum: & ipſe ſubveni, ſi potes.

CCCXCIX. Crudelis animi eſt, alienis malis gaudere, & non miſereri communem naturam.

CCCC. Eſto hominibus miſericors, & conſequêre à Deo miſericordiam.

CCCCI. Fortuna & caſus humani ſunt omnibus communes, unicuique minantur, unicuique impendent.

CCCCII. Hoc amore hominibus debito, nihil exiſtimato poſſe te facere aptius & congruentius, quàm ſi maximum bonum, hoc eſt virtutem,

eis procuraveris: si studueris, ut omnes, si potes, utique quàm plurimos reddas bonos.

CCCCIII. Nihil magis amori dissonum, nihil damnosius aut deterius feceris, quàm si quos malos reddideris vel suasibus, vel exemplo, vel ullo alio incitamento.

CCCCIV. Primum omnium & felicissimum est, si ames etiam odiosus: sed jucundissimum quoque est, & maximè tutum, amari.

CCCCV. Nullæ certiores opes, quàm certæ amicitiæ.

CCCCVI. Nullum potentius satellitium, quàm amici fideles.

CCCCVII. Solem è mundo tollit, qui è vita amicitiam.

CCCCVIII. Sed vera & solida & duratura amicitia, tantummodo est inter bonos, inter quos facile amor coalescit.

CCCCIX. Mali nec inter se amici sunt, nec cum bonis.

CCCCX. Ut ameris, certiſſima eſt & breviſſima per amorem via: nihil enim ſic amorem elicit, ut amor.

CCCCXI. Conciliatur quoque virtute, quæ natura ſua amabilis eſt, ut vel ignotiſſimos ad ſe amandum invitet & trahat.

CCCCXII. Tum etiam virtutis ſignis, manſuetudine, modeſtia, pudore, humanitate, comitate, affabilitate: *ſi nihil vel dixeris, vel feceris, quod arrogantiam*, aut inſolentiam, aut petulantiam, aut obſcœnitatem *reſipiat*: omnia ſint dulcia, mitia, lenia & pura.

CCCCXIII. Amicitiæ venenum, ſi ames tanquam oſurus: & amicum ſic habeas, ut putes poſſe inimicum fieri.

CCCCXIV. Salutare illud: Odi tanquam amaturus.

CCCCXV. In amicitia nulla ſit inimicitiæ cogitatio. Quem habes amicum, ne credas futurum unquam inimicum: alioqui infirma & fragilis erit amicitia.

CCCCXVI. In qua decet inesse fidem, constantiam, simplicitatem, ut de inimico nec ipse suspiceris, nec suspicantibus aut deferentibus aurem accommodes.

CCCCXVII. Vita non est vita suspicacibus, aut timidis, sed assidua mors.

CCCCXVIII. Ne in alienas vitas inquiras, ne ve curiosius scruteris quid quisque agat: multæ hinc suboriuntur simultates.

CCCCXIX. Et qui hæc faciunt, suorum solent esse incuriosi, alienorum solliciti. Stultum est, alios tam probè nosse, seipsum ignorare.

CCCCXX. Nec amare tantum homines debes, sed etiam quos æquum est revereri, ac inter eos honestè versari & cum decore, in quo est officium vitæ communis.

CCCCXXI. Ne putes nihil interesse, ubi, cum quibus, apud quos agas.

CAPUT X.
DE CONVICTU HOMINUM.

CCCCXXII.* Sit tibi inter homines modeſtia, & moderatio in univerſo corpore : & præcipuè in oculis

---

* Pertinent iſta ad Doctrinam de Decoro. Eſt autem & generale quoddam, quod in omni honeſtate verſatur: & aliud, *huic ſubjectum*, quod pertinet ad ſingulas parteis honeſtatis. Cicer. Off. I, 27. quem locum eleganti Commentatione illuſtravit, præclare de his literis meritus, Omeiſius. Ad poſterius pertinet τὸ πρέπον in inceſſu totoque habitu corporis ; & inæqualitatem præcipue hominum ſupponit, ac quemlibet ſuo ſtatui, cæterisque περιστάσεσι convenienter ſe gerere jubet. Specialior pars eſt morum Civilitas, alliciendi amoris cauſſa; quæ vel venuſtatem actionum oſtendit, vel amabilitatem; illam *la bienſeançe*, hanc *la bonne grace*, ſignificantibus utique vocabulis, adpellant Galli. Sed & exeri ea civilitas poteſt debetque, ſermone, nutu, geſtu, opere. Abſit adulatio; Abſit & affectatio.

oculis, ac ore toto: à quo absit species omnis fastidii & contemptus, absit gesticulatio & lascivia: *serenitas* illud & *quietudo* exornent, argumentum animi ad eum modum affecti.

CCCCXXIII. Solum humanæ faciei tegumentum decorum in primis & favorabile, modestia & verecundia, qua nudis nihil dici potest fœdius, aut detestabilius.

CCCCXXIV. Desperanda illius salus, quem desiit pudere malefacere. *

* Disce vero te ipsum multo magis quam alios revereri?

CCCCXXV. Nec vultus sit in atrocitatem, aut severitatem nimiam compositus, unde colligitur sævus & impotens animus.

CCCCXXVI. Risus ne sit frequens, aut immoderatus, aut cum clamore & con-

Sed verum heic tritum illud; sæpius non idem esse, cum duo faciunt idem. Insuper distincti sunt: qui indecenter vivunt, & quibus decorum deest.

concuſſione corporis, nec in cacchinnum aut irriſum exeat.

CCCXXVII. Nullam eſſe rem talem exiſtima, quæ te tantopere queat exhilarare, ut ingentem attollere riſum cogat.

CCCCXXXVIII. Sed riſus poteſt eſſe cauſa aliqua, irriſus nulla.

CCCCXXIX. Irridere bona nefas, mala crudelitas, media ſtultitia: probos impium, improbos ſævum, notos immanitas, ignotos dementia: denique hominem, inhumanum.

CCCCXXX. Oculi ſint quieti, manus ne ludibundæ, ne geſticulatrices.

CCCCXXXI. Nec aſſueſce quenquam cædere: ex talitro venitur ad pugnum, hinc ad fuſtem & ferrum.

CCCCXXXII. Solos bonos vero ac germano honore proſequere, qui ex veneratione animi naſcitur.

CCCCXXXIII. Magiſtratibus exteriorem honorem exhibe, illisque audiens eſto, etiamſi gravia & moleſtia

im-

imperent: hoc enim vult Deus, propter publicam quietem.

CCCCXXXIV. Divitibus cede, ne irritati & tibi & aliis bonis noceant.

CCCCXXXV. *(b)* Seni assurge, reveritus ætatem & rerum usum, prudentiamque, quæ in illa esse solet. Honorationi alienæ non modò paria facito, verum etiam juxta præceptum Apostoli, *(c)* præverte. Salutantem non resalutare, nec feliciter precanti feliciter reprecari, si id factum cognoscas, aut

(b) Tradit, ut vides, varias hominum ob Statum ac munera, ætatemque distinctiones. Certe senium officii honorisque fundamentum in sacris quoque dicitur, quoniam in Sene prudentia, pietas & πολυπειρία præsumitur. Sirac. XXV. 4. XXXIII. 10, 11, 12.

(c) Ro. XII, 10. Sit inter vos certamen, ut quivis alteri ultro concedat.

aut extremæ barbariei eſt, aut incuriæ ſocordiſſimæ. Quam exiguæ res ſunt, & nullius impendii, ſalutatio, affabilitas, comitas, honor? at quàm magnas amicitias conglutinant exhibitæ, diſſolvunt prætermiſſæ? Quanta eſt bonarum rerum ignorantia, nolle multorum benevolentiam tantulo redimere? Generoſiſſimè ut quisque eſt, & optimè educatus, ita ſe maximè mitem omnibus & comem præbet: ut faſtidium & ferocia ex vilitate ſunt, aut hebetudine, aut imperitia, unde in bonas artes eruditio, Humanitas nuncupata eſt. Ipſe ſi non ſalutare, aut reſalutare, negligentiæ magis aſcribito, vel inconſiderantiæ, quàm contemptui. Parum blandè aut honorificè appellatus, ſeu moribus, ſeu naturæ attribue, non malitiæ, vel odio. Hiſce interpretationibus ac ſimilibus, ſanctam tibi ac jucundiſſimam parabis vitam: quippe omnes diliges, nec à quoquam te offenſum arbitrabere. Vetus dictum: ut

verax, ne suspicax: hoc verbis novum, sententia priscum, ut quietus, ne suspicax. *(d)*

CCCCXXXVI. Neminem *contemnere* videaris, non vultu, non verbo, non facto aliquo. *(e)*

CCCCXXXVII.

(*d*) Praeclara ista de officiis humanitatis monita. Docet etiam *τὴν ἀρεσκείαν*, quam Latini placentiam, atque, ut Casaubonus ad characteres Theophrasti observat, PLACOREM vocarunt. Equidem illam vitiis velut quandam adulationis speciem adnumerat Theophrastus; non tamen omnis damnanda est. Testem arbitrumque infallibilem habeo Paulum, cujus hoc monitum extat. *Ἕκαστος ἡμῶν τῷ πλησίον ἀρεσκέτω εἰς τὸ ἀγαθὸν πρὸς οἰκοδομὴν* Ro XV. 2. Quo sensu probari potest illud Biantis; Civibus placere omnibus stude, si in urbe habitare velis; habet enim id multum gratiae. Contra vero fastus ac superbia semper nocuerunt.

(*e*) Plura suggerit argumenta, ex aequalitate cumprimis naturali, Pufendorfius, Off. H. & C. I, 7. 6.

CCCCXXXVII. Si inferiores, quis ſuperiorum ferat ſe contemni abs te? ſin major, irritas & avertis minorem contemptu.

CCCCXXXVIII. Intolerabilis eſt contemptus, propterea quòd nemo videtur ſibi tam vilis, ut contemptum mereatur.

CCCCXXXIX. Multi laborant ut à contemptu ſe vindicent: ſed plures, ut de contemptu.

CCCCXL. Nec quiſquam tantus eſt, quem non aliquando fortuna indigere minimis cogat.

CCCCXLI. Præter hæc omnia, nullus eſt contemptibilis, quem Deus filium dignatur, niſi in hoc Dei judicium contemnas.

CCCCXLII. Et ſæpe quem homines contemptu dignum putant, ſi perſcrutarentur, veneratione & adoratione digniſſimum comperirent.

CA-

Caput XI.

DE VERBIS.

CCCCXLIII. Linguam dedit Deus hominibus, ut sit *instrumentum* societatis & communionis, ad quam natura hominem homini conciliat.

CCCCXLIV. Hæc magnorum & bonorum & malorum est causa, prout utaris. *(f)* Scite Jacobus Apostolus assimilavit eam clavo navis. Freni sunt illi injiciendi, & cohibenda, ne vel aliis noceat, vel sibi ipsi.

CCCCXLV. Nullum est peccati ut facilius instrumentum, ita nec crebrius.

(f) Jac. III, 4. τὸ πηδάλιον, quo maxima navigia, tametsi exiguo instrumento reguntur. Quam parvum membrum lingua? ratione habita corporis humani? quanto minus, facta comparatione ad corpus sociale.

CCCCXLVI. Nemini convicium feceris, neminem execreris, nemini noceto, non modò in re, sed nec fama atque existimatione.

CCCCXLVII. In neminem petulantius aut procacius debaccheris, vel effusius ac immoderatius invehare, etiam lacessitus & læsus: magis enim te & apud Deum, & apud homines cordatos lædes, quàm illum ipsum cui maledices.

CCCCXLVIII. Convicium convicio regerere, est lutum luto purgare.

CCCCXLIX. Minitari, muliercularum est, nec probarum.

CCCCL. Nec sis tam tener, ut verbulis transverbereris.

CCCCLI. Nec facundiam exerceas caninam, nec diserti laudem affectes in alienam contumeliam, in quem infantem & mutum esse, satius est.

CCCCLII. Alios reprehendere ne sis sollicitus: *Hoc cura, ne in te sit, quod alii possint meritò taxare.*

CCCCLIII. Verum reprehendens ne utare acerbitate, aut atrocitate ulla verborũ. fac ut objurgationis amaroti aliquid admiſceatur dulce; quod plagam leniat, ſi quam facis.

CCCCLIV. Modò ne fructus pereat reprehenſionis, dum rem ſtudes nimium mitigare: neu in aſſentationem prolabaris.

CCCCLV. Aſſentatio deforme vitium: turpe illi qui dicit, pernicioſum ei qui audit.

CCCCLVI. Nec putes rem ullam eſſe tantam, ut à recto & vero propter eam ſuſtineas deflectere: non hoc abs te opes, non minæ, non mortis metus & certum periculum extorqueant.

CCCCLVII. Sic tibi & autoritatem parabis, & fidem, ut oracula putentur eſſe quæcunque dicas: aliter deſpicieris, & indigniſſimus judicaberis, qui vel audiare.

CCCCLVIII. Sermone utitor modeſto, civili, comi: non aſpero, non ruſtica-

ſticano, vel imperito, ſed nec accurato, aut affectato nimis: ne, quum loquendum ſit ut intelligamur, ſermoni tuo interprete ſit opus.

CCCCLIX. Nec contumelioſum uſurpes ſermonem, aut reprehenſorium, aut rigidum: ſed neque blandum, aut fractum, aut adulatorium.

CCCCLX. Eſt quiddam mediocre, *(g)* quod nec ſuam dignitatem abjicit, nec alienam tollit.

CCCCLXI. Laſcivia & ſpurcities à ſermone extirpanda, ut à cibis venenum.

CCCCLXII. Nec celeritatem in loquendo nimiam ſuſcipias, nec ut cogitationem præverrant verba; nec re-

F 2 ſpon-

(g) Sed quam difficile obtentu hoc μέσον! Præcipuè naturæ cogitemus inclinationes, quæ cuilibet SUUM impertita eſt. Eo diligentior huic rei opera danda eſt, curandumque, ut ſi quid forte ex ignorantia delictum eſt, ſolicitiori Linguæ cuſtodia uſuque emendetur.

ſpondeas, antequam qua de re agatur plenè intellexeris, & quid ille, cui reſpondes dixerit, ſenſeritque.

CCCCLXIII. Rariſſimum debet eſſe illud Ciceronis, quicquid in buccam: & meritò ſoli Attico dictum, ac neſcio an usquam admittendum: quum inter amicos cavendum ſit, ne quid dicamus, quod amicitiam dirimat, aut lædat.

CCCCLXIV. Quàm turpe illud & periculoſum; *Lingua quò vadis.* (h)

CCCCLXV. CHRISTUS Dominus noſter, ſciens ex loquacite plurima oriri mala, & illa in primis quæ pugnant cum capite legis ſuæ, rixas, diſcordias, ſimultates:

CCCCLXVI. Ad circumſpectionem loquendi interminatus eſt: De omni verbo ocioſo, quod homines fuerint loquuti, reddituros eos rationem in diſquiſitione illa mundi. (i)

CCCCLXVII.

(h) Ita tamen non absque fructu ſciſcitaberis, quoties loquendum eſt.

(i) Matth. XII, 35. Extat Bernardi, de TRIPLICI CUSTODIA ſermo. Ubi

CCCCLXVII. Idcirco Psalmista inquit: Pone custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labiis meis.*

* Psal CXLI, 3.

CCCCLXVIII. Ne sis in sermone immodicus, ac ne multus quidem, ne ve audiri velis solus: est enim in loquendo vicissitudo, etiam si cum imperitissimis agas, aut vilissimis. Sed nec adeò rarus aut tardus, ut ipse te auscultare existimeris, idque facere, quod singula tua verba singulæ tibi rosæ videantur.

CCCCLXIX. Inter prudentes præstat audire, quàm loqui. Sed est locus ubi tacere tam est vitium, quàm loqui quando non oportet. Nulla voluptas est tanta, quæ comparari queat colloquio prudentis hominis ac diserti.

præter alia, si, inquit, de omni vel otioso verbo, quodcunq; loquuti fuerint homines, Deo sunt reddituri rationem in die judicii; quanto districtius de verbo mendaci, mordaci & injurioso? de elato & lascivo? de adulatorio & detractorio judicabuntur.

CCCCLXX. Ne sis nimius percontator: est enim molestum & odiosum. Noris & illud Horatii: Percontatorem fugito, nam garrulus idem est.

CCCCLXXI. In differendo ne sis contentiosus, aut pertinax. Si verum audias, hoc protinus silentio reverere, illique tanquam *divinæ rei* assurgito.

CCCCLXXII. Sin non audias, nihilominus concede hoc vel amico, vel modestiæ tuæ: præsertim ubi nullum neque mores probi detrimentum accipiunt, neque pietas.

CCCCLXXIII. Supervacanea est contentio, si non adsit proficiendi spes.

CCCCLXXIV. Arrogantiam, aut jactantiam, aut superbam & studiosam auctoritatem non ferunt homines, ne in maximis quidem viris, & omnem laudem meritis.

CCCCLXXV. Ne verbis quod scis ostentes, sed rebus te ostende scire.

CCCCLXXVI.

CCCCLXXVI. Nec quicquid eſt jucundum tibi dicenti, idem credideris eſſe aliis audientibus.

CCCCLXXVII. Cave ne quid facias, quod ſecurus non ſis niſi celetur. ſed ſi feciſſe contingat, nemini detexeris. quod taceri vis, prior ipſe taceas: ſin detecturus es, vide etiam atque etiam cui. Arcanum quid, aut celandum, maximè amico quum committis, cave ne jocum admiſceas, ne ille jocum ut referat, occultum retegat.

CCCCLXXVIII. Tibi verò arcanum creditum, accuratius & fidelius cuſtodi, quàm depoſitam pecuniam.

CCCCLXXIX. Nihil erit in humana vita tutum, ſi tollatur ſecretorum fides.

CCCCLXXX. Si quid promiſeris, præſta, etiam ſi res ſit ardua in primis, & dif-

& difficilis, saltem ut obligatam alteri tuam fidem solvas.

CCCCLXXXI. Si quid tibi sit promissum, ne exigas. acrior semper in te judex, quàm in alios.

CCCCLXXXII. Existimare decet te, homines habere sensum, rationem, mentem, judicium: ne speres te illis posse persuadere, malefacta esse benefacta, aut contrà: nec falli posse rebus simulatis, tectis, fucatis, adumbratis: quæ tandem produnt se, & fiunt tanto fœdiores ac invisiores, quanto prius occultiores fuerant.

CCCCLXXXIII. Infestis enim animis accipimus ea, quibus sumus decepti.

CCCCLXXXIV. Ideo consultius est omnia esse aperta, nuda, simplicia.

CCCCLXXXV. Nam etsi aliquando veritas initio odiosa sit: deinceps tamen nihil est amabilius, aut gratius.

CCCCLXXXVI. Laborat aliquando veritas, nunquam opprimitur.

CCCCLXXXVII. Nec mendacii utilitas ſolida eſt, ac diuturna: nec veritatis damnum diu nocet.

CCCCLXXXVIII. A mendacio tanquam corruptela quadam abhorreto: nihil eſt enim humanæ conditioni abjectius: ut quod illam procul à Deo ſeparat, diabolo ſimilem ac mancipium facit.

CCCCLXXXIX. Deindè, ſeu tardè, ſeu celeriter, mendacium deprehenditur, vertiturque mentienti in turpem ignominiam.

CCCCXC. Quid deſpectius, aut vilius mendace?

CCCCXCI. Si mendacem te norint, nemo credet tibi, etiamſi affirmes veriſſima.

CCCCXCII. Contrà ſi veracem, majorem habebit fidem nutus tuus,

 quàm

quàm aliorum ſanctiſſimum jusjurandum.

CCCCXCIII. Si non vis loqui repugnantia: ſi vis ineſſe verbis tuis conſtantiam: nihil opus eſt memoria, aut arte alia, quàm ut dicas ſemper, quod credis verum eſſe.

CCCCXCIV. Verum vero conſentiens, falſum nec vero, nec falſo.

CCCCXCV. Sed ſi vis in opinione tua verum ineſſe, ne facile credas niſi comperta, vel magnam veri faciem præ ſe ferentia.

CCCCXCVI. Neu ſis ſuſpicax. Unde illud ſapienter dictum: Si vis eſſe verax, ſuſpicax non eris.

CCCCXCVII. Miſerum illum, qui id egit, unde extricare ſe non poteſt, niſi per mendacium.

CCCCXCVIII. Jurare ne conſueſcas. Sapiens enim ait: Vir multum jurans replebitur iniquitate, & non recedet à domo ejus plaga. *

* Sir. XXIII, 12.

CCCCXCIX. Et Dominus (k) in Evangelio suo vetat nos penitus jurare. tantum affirmare, ita est: aut negare, non est. *

* Matth. V, 34.

D. Magna est Dei reverentia, non illum passim, aut facile testem adducere. Non hoc debet, nisi ab invito & coacto fieri.

DI. Qui facile in seriis jurat, in jocis jurabit: qui in jocis, & in mendacio.

DII. Si qui tibi credituri sunt, æquè injurato credent, ut jurato: si non credituri, magis etiam jurejurando avertentur.

(k) Iis, qui de Juramentorum in universum licentia dubitant, ex contextu satis fit; Neque auctor de omnibus loquitur, multo minus Servator Optimus. Ac Dubia quidem ea de re diligenter solvit, & Christi quoque verba interpretatus est D. Spenerus, Respons. Theol. P. II, cap. III, art. 1, Sect. V. p. 15, sqq.

Caput XII.

QUOMODO HOMINIBUS UTENDUM.

DIII. INter homines est aliquod faciendum discrimen. Sunt enim ex eis alii domestici, alii noti tantum, alii ignoti.

DIV. Domesticos voco, consanguineos, affines, & quibus cum in eadem domo & familia degis.

DV. Omnes sunt diligendi: etiam in ignotos talem te ostendes, ut sentiant te in universum toti generi humano amicum esse, omnibusque bene cupere.

DVI. Non tamen te eundem præstabis omnibus, ut lineam albam in albo saxo. Alios adhibebis consiliis, aliis parêbis & obsequêre, alios revereberis ac coles, aliis gratiam referes, si quod ab eis tuleris beneficium: & iis potissimum, quorum opera usus es utili tibi, aut diligenti, aut fideli.

DVII. In quo *animus pro opere* computandus est: non in multo pejore loco videatur esse qui conatus est, qui voluit prodesse, quàm qui profuit.

DVIII. Operam si accepisti, ne sis minus de reddendo & compensando sollicitus, quàm si pecunias mutuas.

DIX. Nec putes minus esse operam dedisse, duntaxat honestam, & à sincero profectam animo, quàm pecuniam: quin hoc majus, quo cuique corpus quàm externa charius debet esse. Ne expectes, dum necessitates ad te suas familiaris deferat: tu illas odorare, & eis ultrò subvenias. Honestis precibus occurre, & antequam oreris exorare.

DX. Parentes non amabis solum, sed secundum Deum unicè venerabere: illorum jussis tanquam divinis imperiis obtemperabis.

DXI. Persuasus, id quod res habet, illos vicem tibi referre in terris Dei, nec

te vel chariorem cuiquam esse, vel majori curæ.

DXII. His proximi sunt præceptores, pædonomi, tutores, denique quibus commendata est morum tuorum cura, quis nihil est in homine preciosius, aut præstabilius.

DXIII. Istos velut alteros parentes ama & reverere: his modestè, imò cum alacritate quadam pare, reputans quæcunque præcipiunt, non ad sua illos referre commoda, sed ad tua.

DXIV. Quod quum ita sit, pessimam tu illis gratiam redderes, si ubi ipsi commodis tuis intentissimi sunt, tu eis odium aut contumaciam pro tali beneficio reponeres.

DXV. Crede te illi esse charum, à quo amice reprehenderis:

DXVI. Nec unquam reprehensionem obesse, vel inimici. Nam si vera objicit, ostendit quod emendemus: sin falsa, quod vito-

vitemus. Ita ſemper vel meliores reddit, vel cautiores.

DXVII. Quos familiares tibi facturus es, explora prius, quibus ſint moribus, & quemadmodum ſe cum aliis amicis geſſerint, ne te poſtea neceſſitudinis pœniteat.

DXVIII. Ne familiaris illi fias, cujus familiaritatem bonos vides averſari. Eos etiam vita, qui te non amabunt, ſed tua: quales ſunt paraſiti, & quorum conſuetudine ac tanquam affrictu vel pejor fies, vel labem aut periculum contrahes. Illos quoque, qui amicis felicioribus invident: tum qui jocorum ſtudioſi, nihil penſi habent, in vitam & maximè arcana amicorum ludere, ac dicta dicere, aut innata loquacitate reticenda cumprimis effutiunt: ſed illos potiſſimum, qui ob levem rixulam graviſſimas inimicitias cum chariſſimis ſuſcipiunt, acriusque in eos ulciſcuntur, quos aliquando amarunt, quàm quos ſemper oderunt, ***barbarica***

qua-

quadam persuasione, minus ferendam esse injuriam, quæ fit ab amico, quàm quæ ab inimico. In quo se ostendunt nunquam amasse, alioqui non putarent se tam citò læsos. Ejusmodi præstat inimicos, aut certè ignotos habere, quàm amicos.

DXIX. Esto admittendis ad familiaritatem cunctantior, in retinendis semel admissis constantior.

DXX. Familiares elige, non placituros tantum, sed & profuturos: non eos qui omnia loquentur ad gratiam, sed qui ad commodum: nec qui suaviter assentabuntur, sed qui verè admonebunt.

DXXI. Si consueveris assentatoribus delectari, nunquam verum audies.

DXXII. Ex bestiis exitiabiles maximè inter *feras* invidia, inter *mansuetas* adulatio.

DXXIII. Quàm amandæ sapientia & virtus: tam execranda assentatio, quæ impedit ne illuc perveniamus, dum sua-

ſuadet jàm perveniſſe: tam diligenda recta admonitio, quæ illuc provehit, dum quantum ſuperſit, & quemadmodum conficiendum ſit, docet.

DXXIV. Si reprehendi fers ægrè, reprehendenda ne feceris.

DXXV. Miſerum illum, qui admonitorem, cum eget, non habet.

DXXVI. Malorum hominum conſuetudinem non ſecus atque ictos peſte devita: utrinque enim metuendum contagium.

DXXVII. Niſi talis ſis, qui confidas te poſſe illos meliores reddere.

DXXVIII. Sed huic fiduciæ non eſt nimis fidendum, præſertim quoniam natura in malum fertur prona, ad virtutem autem acclivis eſt atque ardua ſemita.

DXXIX. Explora & ipſe qui ſis, quo loco, qua conditione: nec putes rem ullam eſſe tantam, ob quam tibi plus quàm cæteris liceat.

DXXX.

DXXX. Quo tibi plus concedente more licet, hoc minus retrahente moderatione libeat.

DXXXI. In *minores* præbe te comem, in *majores* reverentem, in *pares* facilem ac tractabilem.

DXXXII. Sic ut vitio sis semper durus, rigidus, inexorabilis.

DXXXIII. A potentioribus contemni (*l*) te ne inique accipias: potiusque id crede fortunæ vitio fieri, quàm hominis.

DXXXIV. Si quid à minore proficiscatur, quod tibi parum placeat, cogita non id protinus contumeliam esse, sed libertatem.

DXXXV.

(*l*) Mire textum corrupere typographi, ac vitiari passi sunt Editores. *Hamburgensis* male: a potentioribus contemni te inique accipias. Nec melius *Basiliensis prior:* a potentioribus contemni te inique decipias. Nos ex altero restituimus: ne inique accipias.

DXXXV. Te etiam nimis esse delicatum, cui leves titillationes, grandes videantur esse plagæ.

DXXXVI. Nec oportet existimes te solum esse hominem, reliquos pecudes, quibus nec mutire liceat. Homo es, vive æquo cum reliquis hominibus jure.

DXXXVII. Imò verò si sapientior es, si melior, hoc indulge, hoc concede magis de jure tuo cæteris, tanquam imperitioribus, aut imbecillioribus: tibi verò minus velis ignosci, cui tantum robur, sapientia & virtus attulere.

DXXXVIII. Si virtute non excellis, cur postulas videri aliis potior? si excellis, cur affectibus moderandis non plus quàm vulgus præstas?

DXXXIX. Injuriam accipere, quàm facere: decipi, quàm decipere, satius & præstantius. Quod nec humana ignoravit sapientia, ut Socrates, Plato, Aristoteles, Seneca.

DXL.

DXL. Memineris humanæ imbecillitatis esse, falli, errare: ne te graviter aliorum delicta offendant, præsertim adversum te.

DXLI. Ignoscere, generosi pectoris: iram retinere, atrocis, sævi, degeneris, vilis: quod & natura in mutis animantibus ostendit.

DXLII. Quumque Deus nihil vel crebrius faciat, vel libentius, quàm ignoscere: quis est tam demens, qui negare possit, illud esse pulcherrimum atque excellentissimum, quo tam propè ad naturam illam accedimus summi & præpotentis Dei?

DXLIII. Eris in homines talis, qualem cupis CHRISTUM erga te.

DXLIV. Et est profectò æquum, ut eam tu des hominibus veniam, qua in eisdem delictis, aut aliis non paulo levioribus ipse eges.

DXLV. Nulla oratio præstantior, aut efficacior apud Deum illa, quam edocti sumus ab ejus filio CHRISTO Do-

Domino: quæ idcirco Dominica nominatur.

DXLVI. At illam non potes verè ac puro animo dicere, nisi toto pectore homini condonaris quicquid ipse condonare tibi à Deo petis.

DXLVII. Hac lege remittitur nobis ingens debitum, si nos exiguum remittamus.

DXLVIII. Quicquid ùnquam homo in hominem peccavit, minutissima pars est ejus, quod quivis hominum singulis momentis in Deum peccat: nimirum tantum, quanto major & excelsior est homine Deus.

DXLIX. Si cui es iratus, fac juxta monitum Apostoli, ne sol occidat super iram tuam. *

* Ephes. IV, 26.

DL. Concessurus cùbitum, omnes ex animo rixas, iras, offensiones, cupiditates, solicitudines depone: ut composito & tranquillo animo, placidissimæ te quieti tradas.

DLI.

DLI. Cui ſemel ignoveris, cura ut ille ſentiat bona fide id eſſe actum, ut nec ipſe injuriarum memineris, & experiatur te amicum, ſi qua in re juvare aut commodare illi potes.

DLII. Affectus injuria cave, ne ultionem tuis manibus de quoquam ſumas, nec eam ulli mortalium mandes. non eſt tibi jus in ſervum alienum, imò in conſervum tuum. Domino tuo injuriam facis, ſi non illi cognitionem relinquis de conſervo tuo.

DLIII. Atqui Deus eſt omnium Dominus. univerſi ſumus ejus ſervi. ſit ſatis, te queſtum: ac ne queraris quidem, oculus Domini ſingula intuetur: & juxta ſacrum verbum, Ipſe novit & facientem injuriam, & patientem.

DLIV. Idcirco ſic ipſe omnibus edicit: Mihi vindictam, & ego retribuam.*

* Ro. XII, 19.

DLV. Nam quum *in animo* ſit injuria, *non in facto*, ſolus Deus ſcit, qui fue-

fuerit animus, & quod ei debetur supplicium.

DLVI. Plerunque putamus eam esse injuriam, quæ non est: ut sunt nobis affectus nostri nimis chari, qui non sinunt nos singula ritè examinare, sed ad judicandum transversos vi sua rapiunt.

CAPUT XIII.

QUOMODO SE QUISQUE GERET ERGA SEIPSUM.

DLVII. Convenit te non charum modò esse tibi ipsi, sed etiã venerabilem præbere, ut pudeat te tui ipsius, aliquid facturi vel ineptè, vel imprudenter, vel impudenter, fœdè, flagitiosè, sceleratè, nefariè, impiè.

DLVIII. Pluris facias judicium conscientiæ tuæ, quàm voces omnes ingentis multitudinis, quæ imperita & stulta est: ignota temerè ut probat, sic & damnat.

DLIX.

DLIX. *(m)* Conſcientia eſt, quæ turbata maximos affert animo cruciatus: tranquilla, maximam beatitudinem, cui nullæ opes, nulla poſſunt regna comparari.

DLX. Hoc eſt quod Dominus in Evangelio pollicetur ſuis, multo plura etiam in hac vita recepturos eos, quàm quæ pro ſe repudiarint.

DLXI. Fama nec profutura malo, nec læſura bonum.

(*m*) Internum animi tribunal, judicioſe, poſt alios, dicta Grotio, de J. B. & P. II, 10, 2. quod quemlibet malefactorum arguit. Non efficacior potentiorque elenchus eſt. Unde, quos reprehenderat Servator, dicuntur ἐλεγχόμενοι ὑπὸ τῆς συνειδήσεως, & exiviſſe ſinguli. Jo. VIII, 9. Solent etiam male temereque facta cordi humano eſſe offendiculo, animumque vehementer inquietare. Quo de elegans in ſacris diſcurſus eſt Abigailis 1. Sam. XXV, 31. adde Sap. XV, 10.

DLXII. Mortuus quid plus referes de fama, quàm pictura Apellis laudata? aut equus in Olympia victor? nec vivo quidem prodest, si eam ignorat: si novit, nihil adfert aliud, nisi ut sapiens contemnat, insipiens sibi magis placeat.

DLXIII. Conscientia verum (*u*) & solidum & duraturum reddit testimonium, plurimum in illo Dei judicio valiturum: vitæque hujus magna est magistra. Et quemadmodum scitè ille dixit, murus aheneus, quo & tuti agimus inter innumera vitæ pericula, & securi: nec ullus est tantus terror, qui

G eum

(*u*) Act. XXIV, 16. Pulcre Seneca, de ira III, 41. Conscientiæ, ait, satisfiat; non in famam laboremus. Sequatur vel mala. DUM BENE MEREARIS. Ac rursus de *Vita Beata*, c. 20. Nihil opinionis caussa, omnia conscientiæ faciam. POPULO TESTE fieri credam, quidquid ME CONSCIO faciam.

eum commoveat. Eſt enim mente defixus Deo, illique fidit uni, ac ei ſe novit peculiari eſſe curæ, cui ſcit parêre univerſa.

DLXIV. Turpe eſt, aliis notum eſſe, ignotum ſibi.

DLXV. An non tibi ſufficit, te & tibi notum eſſe, & (quod maximum eſt) Deo? *(o)*

DLXVI. Qui tamen nominis curam abjiciunt, ut audacius & ſecurius peccent, ii dupliciter ſunt mali, quòd nec homines reverentur, nec Deum.

DLXVII. Et in conſcientiam injurii ſunt, quam derident ac deludunt, tanquam ob id ſpreverint famam, ut ſe conſcientiæ ſuæ liberius vendicarent: quæ hac de cauſa effuſius delinquit, quòd jam nullo metu coercetur.

DLXVIII.

(o) Θεῷ πεφανερώμεθα, ſinceri propoſiti, totiusque vitæ teſtem habemus DEUM II. Cor. V, 11.

DLXVIII. Hoc eſt amare ſe: conari, laborare, magnis precibus à Deo: petere ac contendere, ut excellentiſſima noſtri pars ornata atque exculta ſit veris germaniſque ornamentis, nempe religione.

DLXIX. Non is amat ſe, *(p)* qui opes, qui honores amat, qui voluptates, denique quæcunque ſive extrinſecus ſunt, ſive in corpore: quum potiſſima hominis pars ſit mens.

DLXX. Nec amat ſe, qui ignoratione ſui ſeipſum fallit, vel falli patitur:

 inter-

(p) Excellens hoc adverſus eos argumentum eſt, qui felicitatem in opibus, in honoribus aut voluptatibus collocant. Non illi ſe ipſos, ſed opes, ſed honores, ſed voluptates amant, unde, ut opes ſervarent, tot miſeri periere; ut honores conſequerentur, famæ ſimul & conſcientiæ paſſi jacturam ſunt; ac voluptatibus indulgendo corpuſculum enervarunt, mortemque adeo ſibi præmaturam conſciverunt.

interdum gaudet, quum ea ſibi perſuadet ineſſe bona, quæ nulla inſunt.

DLXXI. Hic non eſt in homine amor ſui, quum ipſe ſit animus: ſed amor corporis inconſultus, cæcus, ferus, perniciosus ſibi & aliis.

DLXXII. Quem non injuria caput eſſe ac originem malorum omnium Socrates pronunciavit: quippe tollit charitatem mutuam, unde in genere humano mala omnia naſcuntur.

DLXXIII. Nimirum qui ſe hoc modo amat, is nec alium amat, nec ab alio amatur.

DLXXIV. Superbus mitibus diſcors, ſuperbis multo etiam magis.

DLXXV. Servator noſter brevi declarat documento, quid ſit amare ſe, quid odiſſe: Qui odit, inquit, animam ſuam, nihil illi in rebus iſtis fortunis aut perituris indulgendo, is verè amat eam, & ſalvam cupit: qui verò amat indulgendo, is odit, is vult perditam.

DLXXVI. Laborem pro æterno & cœlesti *(q)* præmio, quis nisi amens refugiat? quum nec caduca hæc & fragilia citra laborem acquirantur.

DLXXVII. Hæc est lex eorum quibus pater est Adam, ut laborent: hæc eorum execratio, quibus mater Eva, ut affligantur.

DLXXVIII. Quanto præstat anniti, ut maxima *(r)* merces opera nostra

(q) Eo scilicet, quo Paulus edixit, sensu Philipp. II, 12 non ut mercedem Operi correspondentem obtineamus; Sed ut gratitudinem officiumque, pro viribus a DEO concessis, præstare annitamur. Cæterum, quærit Servator, num gratiam habebit Herus servo suo, quia fecit, quæ ei imperaverat? Non puto. Luc. XVII, ℣. 9. 10.

(r) Eaque gratuita, adeoque dicta improprie. Ac si vocem *mereri* adhibuere aliquando veteres, idem illis significavit, atque *consequi*; ut Cyprianus verbum Pauli 1. Tim. I, 13. ἠλεήθην, misericordiam consequutus sum transtulit, *merui misericordiam*.

quæratur: quàm, exigua: vilis & evanida, atque hinc ſempiternus cruciatus & mœror?

DLXXIX. Quid quod facilius & tutius & ſecurius, ac proinde jucundius leviusque eſt, bene agere: quum peccatum timoris & ſollicitudinis ſit plenum?

DLXXX. Peccatum hominis mors: ut jugulare ſeipſum videatur, quiſquis peccat. abducit enim ſe à Deo, vita noſtra, & à quiete conſcientiæ ſuæ, qua nihil eſt beatius.

DLXXXI. Peccati ſordes ablues lachrymis, pœnitentia, & invocatione divinæ clementiæ, unice huic confiſus.

DLXXXII. Occaſio omnis peccandi, & cauſa, intentiſſima cura vitanda eſt. Sapiens ait: Qui amat periculum, peribit in eo.

DLXXIII. Et imminet ſemper occaſioni ſuæ diabolus, per quem nunquam nobis licet ſecuris agere.

DLXXXIV.

DLXXXIV. Semper eſt cum eo belligerandum: ut verè Job dixerit, * Militia eſt vita hominis ſuper terram.

* Hiob VII, 1.

DLXXXV. Et quum ſit hoſtis tam potens, robuſtus, vafer, tam callidus, veteranus, exercitatus, tot vires habeat, tot ſtrategemata: nulla ratione, aut arte, aut vi noſtra propria poſſemus pares illi, nedum ſuperiores è conflictu excedere. Idcirco diffiſi noſtris copiis, ad Deum accurrendum eſt, ad opem implorandam.

DLXXXVI. Hac cauſa Dominus ac magiſter noſter ſuis illud ſubinde præcipit, orent, & religioſis affectibus à patre omnium petant, ne in tentationem ducantur, hoc eſt in prælium, quo manus cum diabolo conſerant.

DLXXXVII. Et in oratione, quam ipſe nos docuit, illa eſt coronis: Et ne nos inducas in tentationem, ſed libera nos à præva illo inſidiatore.

DLXXXVIII. Sic ergo agamus ſemper, tanquam in acie armati, vigilantes, accincti, intenti, occaſionibus noſtris non indormientes. Et quum tanta ſit vitæ fugacitas, in tanta incertitudine, ut ne craſtinum quidem poſſit ſibi quiſquam polliceri: ſtultum eſt & periculoſiſſimum, ſi ſpes noſtras in longum tendamus, *differamusque nos adornare futuro itineri*, *quo ſingulis momentis vocamur*, inſcii quando (velimus nolimus) in illud pertrahemur. Quam ob rem paremus nobis theſaurum ad futuram vitam, cui aliquid quotidie accreſcat, quo inſtructi & confiſi, nunquam per ſegnitiem aut ſocordiam inopinantes opprimamur, aut diſcedamus mœſti, ſed parati abire, & vitæ hujus pleni, agentes præ nobis magnam & optimam ſpem vitæ, innocenter ſanctéque transactæ per fidem filii Dei & pietatem, quam nos edocuit, quo munere nullum potuit homini à Deo majus aut pulchrius dari: quo Deum noſci-

ſcimus, & quantum effici à mortali poteſt, æmulamur, ſequimur, conſequimur.

DLXXXIX. Sine hoc quid eſt homo aliud, quàm immmortale pecus?

DXC. Ut unus dies humanæ vitæ præferendus eſt longiſſimæ ætati corvi, aut cervi: ita dies unus ex religione actus, hoc eſt divinæ vitæ, toti æternitati ſine religione eſt anteponendus.

DXCI. Hæc eſt vita æterna, inquit CHRISTUS Dominus, ut agnoſcamus patrem, & quem ille miſit JESUM CHRISTUM.

DXCII. Hic eſt curſus abſolutæ ſapientiæ, cujus primus gradus eſt noſſe ſe, poſtremus noſſe DEUM.

Regi ſeculorum immortali & inviſibili, Soli DEO Honor & Gloria.

INDEX
LOCORUM SCRIPTURÆ;
Quorum in annotationibus mentio facta est.

Joan.

INDEX
RERUM PRÆCIPUARUM.

Prior numerus Paginam: alter aphorismum designat. Si tertio loco litera compareat, ea adnotationis index est.

A.

Ani-

C.

D.

DEI

F. Fa-

Par-

S. San-

S.

V.

Vi-

INDICULUS AUCTORUM.

Qui in annotationibus vel allegantur, vel ob argumenti præstantiam, & abscisam in præsenti instituto scriptionem, commendantur.

A.

S. *Ambrosii* de Officiis. Libri III. ex edit. & cum commentatione D. D. Fortschii, *Stutgard.* 1698. 8

B. D. *Jo. Valentini* Andreæ, Theologi Wirtembergici, Mythologia Christiana, *Argent.* 1618. 12

Ara-

P. *Fran-*

F.

Franciscus de Salignac Fenelon de l' education des filles, Germanice versus *Hall. Saxon.* 1698. 12

Christophorus Forstnerus ad Tacitum, *Lugd. Batavor.* 1650. 12

G.

Petrus Gassendus, Diniensis Eccles. Præpositus, & in Acad. Parisiensi Professor Regius, Opera omnia, Tomi quatuor, *Lugduni* 1658. fol

E. Vita *Nicolai* Peirescii, Senatoris *Aquisextiensis*. Hagæ Comitum 1655. 4

Hugo Grotius de Jure Belli & Pacis, ex edit. Jo. Tesmari 1696. fol

H.

Q. Horatius, Opera Poetica, cum Notis Jac. Grasseri, *Basil.* 1615. fol

Henrici Höpfneri, Saxonia Evangelica. *Lips.* 1625. 4

L.

Justi Lipsii Opera omnia in quatuor Tomos distributa *Vesaliæ* 1675. 8

Luc. Cælius Lactantius, Opera omnia *Cantabrigiæ*, 1685. 8

O.

Ulricus Obrechtus, de Ratione belli, vulgo Raison de gverre, *Argent.* 1697. 4

Magnus Daniel Omeisius, Dissertatio ad Off. Cic. I, 27. de Decoro,

P. Sa-

Errata, quæ in Introductione occurrunt, ita corrigantur.

P. 7. lin. 9. lege Bibliothecæ SS. PP. lin. 17. lege: σεαυτὸν. lin. 18. lege Rom. XII, 10.

p. 12. lin. 21. lege; quam ſatis ſit.

p. 19. lin. 8. lege: elementis.

p. 22. ob veterum auctoritatem, ne quis miretur, lin. 7. exſcribi paſſi ſumus: comiſſationes. Vulgo ſcribunt, comeſſationes.

p. 23. lin. 24. l. uſumque.

p. 26. lin. 10. l. ignominiam.

p. 44. lin. 5. l. Prov. XXV. 22.

p. 45. lin. 9. collocutiones. & lin. 19. execrationes.

p. 57. lin. 24. lege: incertum.

p. 78. lin. 21. l. ep. XVI. & lin. 22. placuiſſe.

p. 80. lin. 7. CCLXXXI.

p. 102. lin. 12. Luc. XVII.

Errata, quæ in Introductione irrepserunt, ita corrigantur.

P. [illegible] l. [illegible] [illegible]
[illegible] lege [illegible]
[illegible]
p. [illegible]
[illegible] lege [illegible]
p. [illegible] ob [illegible]
[illegible]
[illegible] [illegible]
[illegible]
p. [illegible] l. [illegible] [illegible]
p. [illegible]
p. [illegible]
p. [illegible] [illegible] l. 19.
[illegible]
p. [illegible]
p. 38 lin. 21. lege [illegible]
[illegible]
p. [illegible] l. [illegible]
[illegible] XVII.